





DISPUTATIO JURIDICA
DE
CONSTITUTIONE,
REPETITIONE ET
PRIVILEGIO DOTIS

491.

1647 4.

10

Jepp. X4

QVAM

Deo Ter Opt. Max. auxiliante

PRÆSIDE

Nobilissimo, Excellentissimo, & Consultissimo

VIRO

Dn. JOH. OTTONE TABORE,
J. U. D. COD. ET FEUDALIUM PLACITO-
rum in Inclyta Argentoratensium Universitate Professore
celeberrimo, Dn. Præceptore, & Patrono suo
omni observantia ætatem
colendo

ac solenni

Publicæ disquisitioni proponit

HENRICUS HÆRHABSEN
Hassus.


Ad Diem 26. Julij.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS-PHILIPPI MÜLBI,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,

Anno M. DC. XLVII.





THE PRINCIPLES OF

CONSTITUTIONAL

REPRESENTATION

BY

DR. THOMAS STANTON

OF THE UNIVERSITY OF

YALE

IN TWO VOLUMES

VOLUME I

NEW YORK

1855

WILEY

HENRICH'S

HALL

MAGAZINE

Typographische Anstalt

von M. D. ...

...





V I R O

MAGNIFICO, NOBILISSIMO,
Amplissimo & Consultissimo

Dn. NICOLAO SIXTINO, Jcto Ex-
cellentissimo. Serenissimorum & Celsissimo-
rum Principum Hasso-Cassellanorum Con-
siliario, quâ Sagam quâ togam, intimo, Prima-
rio & optimè merito, Domino, Patro-
no & Evergetæ meo suspi-
ciendo.

VT ET

VIRO NOBILISSIMO, AMPLIS-
simo & Consultissimo

Dn. HENRICO Speirmann / J.U.D. Cla-
rissimo Illustrissimorum & Generosissimo-
rum Dnn. Comitum Waldecco-Culem-
burgicorum Consiliario intimo,
fidelissimo.

Dn. Avunculo ac patrono meo parentis loco
æternum venerando

*Hanc dissertationem juridicam debita gratitudinis & obser-
vantia contestanda ergo humiliter*

offero lito, & inscribo

Henricus Haxthausen / A. & R.



EXIMIO AC PRÆSTANTISSIMO
Dn. Respondenti amico suo singu-
lariter dilecto.



*Pargitur hinc inde ac magnas it fama per urbes.
Pax patria quod sit restituenda brevi.
Ergo quid bellum quaris perdulcis amice
Exosum modo quod nomen in orbe tenet.
Scilicet hand bellum quaris quod splendeat armis
Armatum sed quod legibus esse solet:
Incipias pugnam, contra hostem audentior ito,
Tunc dotem Themidos Pieridumque feres
Nam si post bellum semper victoria præsto est
Cur non per nostrum tu quoque victor eris.
Non etenim minus arte datur quam Marte triumphus
Ars ac æternum nomen habere solet.
Hæc tibi per varias pugnas certamina multa
Acquires quondam, præmia mille ferens.
Perge igitur nec siste gradum, stirpique paterna.
Æternum quaras conciliare decus.
Hoc precor ex animo votumque ut compleat author,
Cunctarum rerum nocte dieque precor.*

Hæc testandi sincerioris affectus ergo.

L. M. Q. S.

Fridericus Wolpman.



CUM BONO DEO!

DE CONSTITUTIONE, REPE-
titione, & privilegio Dotis.

THESIS I.

Dos (a) est Jus in re (b) marito (c) à parte uxoris (d)
sive ante (e) sive post nuptias (f) ad sustinenda one-
ra matrimonii constitutum. (g)

(a) **D**otis vocabulum, quod Latini à Græcis sunt mutuati, nimi- A.
rum à verbo *διδωμι* vel *δίδω*, unde Poëtice fit *Δῶς*, idem
quod *δῶμα*. *Obrecht. disput. 16. de patrimon. mulier. 9. 16. 17.* est æquivo-
cum, ut ne igitur statim in vestibulo hujus materiæ ambiguitas vo-
cis nos decipiat, cum primis juxta *Jctum Cajum in l. 236. de V. S.* ad
evitandam nominum rerumque confusionem. *l. fin. C. de legit. tutel.*
homonymia nobis erit explicanda, ut quid velimus dicere, pate-
scat, *l. 3. de reb. dub.* nihil enim magis impedit rerum intelligentiam
quam vocabulorum varia significatio. *Dd. in l. 9. de R. I.* Sumitur au-
tem hæc vox tum improprie, tum proprie, illo modo *in l. 2. §. 1. l. 20.*
§. 1. & 3. de instruct. & instrum. legat. l. 52 §. 2. de fidejussor. ferramenta &
instrumenta agri, dotes prædiorum vocantur. Sic dos ecclesiæ dici-
tur pro redditibus, qui Clericis, sacris operantibus, ad alimoniam as-
signantur, *c. 8. extr. de consecrat. eccles. vel altar.* Alias abusivas signifi-
cationes vid. *ap. Tr. volum. 2. d. 7. thes. 1. A.* hoc modo vel pro ipsa con-
ventionem, quâ dos constituitur *l. 5. in pr. de pignor. l. 1. h. t.* vel pro re
quæ nuptiarum causa datur. *l. 48. h. t. l. 9. in pr. C. de bon. proscr.* quomo-
do dos dari, *l. 5. §. fin. h. t.* numerari. *l. 41 solut. matrim. conferri, t. t. de*
collat. dot. dicitur vel denique pro jure in re constituto *l. 57. h. t. l. 5. de*
impens. in res dot. fact. ultima hæc species præsentem disputationem
occupat. (b) aliud genus ponit Cujac. *in parat. ff. h. t.* pecuniam B.
scilicet: aliud Bocerius *class. 2. disp. 18. thes. 2.* nempe rem, aliud Perez
in prælect. Cod. de dot. promiss. n. 1. speciem, seu quantitatem. Alii aliud
quorum omnium opiniones recensere, nec libet, nec licet. Mihi
A cum

cum Amplissimo ac Consultissimo Dn. D. Biccio Promotore atq; Prae-
ceptore meo, grato semper animo venerando in reb. quotid. sect. 3. part. 1. §. 54.
lit. 2. generis loco constituere placuit, Jus, arg. l. 7. §. 2. h. t. l. 5. de im-
pens. in res dot. fact. ibi non corporū, sed dotis fit diminutio, non rem ipsam
quæ sunt diversa, ut patet ex tit. ff. & C. de jure Dot. & fund. dotal. nec
nisi per tropum alterum alterius vice fungi potest. Sicuti aliud est
emphyteusis, aliud res emphyteutica, aliud feudum, aliud res feu-
dalis. Addo, jus in re, quia rei appellatio latior est, quàm pecuniæ
l. 5. de V. S. cum non tantum corpora, jura, res tam soli quàm mobi-
les l. 222. de V. S. verum etiam ea, quæ extra computationem patri-
monii sunt, contineat. d. l. 5. in quibus verò hoc jus consistat, dabit
C. inf. thes. 6. D. (c) sive patri ipsius l. 20. §. 2. famil. ercisc. l. 22. §. 12. so-
lut. matrim. ex ratione enim juris veteris, dos non marito, si filius fa-
miliæ erat, sed socio dabatur. l. 7. de dot. praleg. l. un. §. 10. C. de R. V.
A. l. 2. C. famil. ercisc. fac. l. 56. §. 2. l. 72. §. 1. h. t. Bachov. in not. ad Wesem.
h. t. num. 2. Quin & jussu mariti cuius extraneo, solutionis scil. cau-
sa adjecto, dos constitui potest. l. 19. l. 59. h. t. d. l. 22. §. 12. l. 14. in pr.
de fund. dotal. licet nihilominus de dote maritus, maneat obligatus.
d. l. 19. Frustra vero essem imposterus in differendo de dotis con-
stitutione, nisi prius demonstrarem esse de salute Reipublicæ mulie-
res dotatas nubere. Ordinar igitur primo à ratione utilitatis quæ
in civili causa plurimum momenti habet: interest enim Reipubli-
cæ subiectos habere locupletes. Novell. 8. in pref. §. 1. interest Reip.
mulieres dotes habere salvas, propter quas nubere possunt ait JC.
in l. 2. h. t. & sanè quomodo parentes divitias suas melius collocare
possunt, quam si eas extrudant ad promovendam salutem libero-
rum, iisque honestissimas filiabus quasi admercentur nuptias Arnif.
de jur. connub. cap. 3. sect. 8. num. 20. Deinde à necessitate, indotatam
enim neminem facile ducturum lex præsumit l. fin. §. 1. in fin. que in
fraud. credit. unde eleganter Hering. de fidejuss. c. 7. n. 454. hunc in
modum colligit; si fœminæ non habeant dotes, non facile nubunt,
sine nuptiis non sunt matrimonia sine matrimonio nulli liberi &
homines, si non sunt homines & liberi, cives quoque non sunt. &
quæ ex his constat civitas. Denique à iustitia ut maritus qui gra-
vissima matrimonii onera subire, atque magnos sumptus in rem
uxoriam facere cogitur, aliquo modo sublevetur. l. un. vers. si vero
vel socer. C. de imponend. lucr. descr. lib. 10. l. 20. C. h. t. æquum igitur est,

tur est, ut multum recipiat, qui multum expendere tenetur. *arg. l. 10. de R. l.* Verum inexplebilis illa auri & argenti cupido multorum animos eò adigit, ut tantum amicæ suæ dotem supputent, nec qualis ea in convictu futura explorent, unde & illis accidit, ut non uxorum domini, sed dotis servi fiant. *Plutarch. de liberor. educat. Reusner. hortul. hist. polit. coron. 5. flor. 3. fol. m. 504.* quorum tamen præposterus error tot commodis haud debet præjudicare. Utrum verò dotis Q.
 quantitas taxari debeat, ne alii, ad quos onus dotandi spectat, certam illam ac definitam quantitatem excedant alia est quaestio, quæ pro cuiusque Reipublicæ statu ac salute est determinanda, exemplo Venetorum, quine plebei nimis cupidè patritiorum nuptiis sese immiscere properent, & hi dulcedine dotis tamen invitarentur ad ea connubia, quæ absque dote si forent, prorsus spernerent. certam dotis quantitatem à plebeiis exegerunt. *Arnif. d. l. Covarruy. lib. 4. decret. de sponsal. part. 2. cap. 3. §. 6. n. 3.* (d) Perinde enim est, si ve mu- D.
 lier ipsa dotem det, si ve alius ipsius nomine, ut pater. *l. 5. §. 12. h. tit. Curator. l. 9. C. de administrat. tutor. l. 28. C. de Episcop. audient. extraneus. l. un. §. 13. C. de R. V. A.* quilibet enim ex dotis promissione efficaciter obligatur. *l. 41. h. t. C. A. h. thes. 4.* Licet non omnium eadem sit ratio. *prout thes. 3. ostendet.* (e) Ante nuptias tamen constituta E.
 Dos, tacitè hanc habet conditionem si nuptiæ sequantur. *l. 21. ff. h. t. nam sine matrimonio illa esse nequit. l. 3. h. t. l. 20. in pr. vers. quare. C. de donat. ant. nupt.* unde & fructus dotis ante nuptias percepti, non fiunt mariti, sed convertuntur in dotem *l. 7. §. 1. h. t.* suntque augmentum dotis. *l. 6. solut. matr.* qui à marito ut dotales percipi non potuerunt, cum matrimonium nondum esset. *Gothofr. in not. ad l. 5. solut. matrim. lit. k.* non entis enim nullæ sunt qualitates. *per vulgatum Philosophorum,* nisi inter maritum futurum, & destinatam uxorem aliter placuerit; tunc enim quasi donatione facta fructus non redduntur. *d. l. 7.* Conditione autem deficiente; & nuptiis non secutis, dotis constitutio in irritum redigitur. *l. 41. §. 1. h. t.* ut ei, qui jam dedit, condictione consulatur. *l. 6. de condict. caus. dat.* Quemadmodum enim defectus causæ expressæ parit condictionem danti, sic & tacitæ, quæ animo contrahentium inest. *d. l. 6. cap. 3. extr. de cleric. conjugat.* (f) §. 3. *Inst. de F. G.*
donat. l. 7. §. 3. h. t. d. l. 20. vers. quare C. de don. ant. nupt. (g) Hic est finis dotis constitutæ, adeo ut nisi oneribus matrimonii subserviat, dos nulla esse possit. *l. 76. ff. h. t. l. 46. famil. eriscund. l. 20. C. h. t.* Ex quo

quo generali fundamento LL. interpretes colligunt, quod sublato matrimonio, quia mulier dotem suam recuperat, cæteraque onera matrimonialia cessant, non amplius propriè dos, sed patrimonium mulieris vocetur; desit namque dos exacta, dos esse. l. 1. §. 3 ff. pro dot. l. fin. in med. C. commun. utri. judic. exemplo hereditatis, quæ post aditionem hoc nomen amittit, atque hæredis patrimonium appellatur. Gothofr. in not. ad l. 10. de vulg. & pupill. substit. d. Quærat igitur aliquis, an Dos sit titulus lucrativus, an verò onerosus? Ex modò dictis manifestò patet, eum à parte mariti satis onerosum esse, licet ex parte uxoris lucrativum dicere possim, (sumpta distinctione ex l. fin. §. 1. quæ in fraud. credit. ib. quia intelligitur ex donatione ad eam pervenisse; & post: non magis quam in creditorem) marito enim datur pro oneribus matrimonii, quæ sustinere cogitur. d. l. 20. tenetur subvenire uxori alimentis, ægrotæ Medicinis expensis, utpote quæ alimentorum nomine hîc veniunt Ioseph. Ludov. comm. concl. 1. num. 14. aliisque necessariis. l. 22. §. 8. solut. matrim. l. 21. de donat. intr. vir. l. 13. C. de negot. gest. ejusdemque familiæ d. l. 22. §. 8. vers. tunc dotem sequestrari. tenerur satisfacere ex suo æri alieno ratione matrimonii contracto. l. 12. in pr. vers. oportebat. C. qui potior. in pign. dos enim semper integra & ab omni onere libera uxori est restituenda l. fin. C. solut. matrim. tenetur deniq; ratione rerû dotalium functiones publicas præstare. l. 13. de impens. in rem dot. quæ onus fructuum sunt. l. 2. & 10. C. de annon. & tribut. lib. 10. Schneidevv. in §. 6. l. de action. n. 32. 33.

T H E S I S II.

Dotem constituunt vel principales ipsæ (a) vel aliæ pro his personæ (b) & hæ vel de bonis mulieris (c) vel de propriis dotant. (d)

- A. (a) L. unic. §. 1. C. de R. V. A. personæ principales sunt mulieres ipsæ, quæ de propriis dotem dant. l. 57. l. 72. §. 2. h. t. l. 9. §. 2. de minor. prout ipsis lege permissum est vel universa bona dotis nomine erogare d. l. 72. in princ. h. t. l. 4. C. h. t. etiam si, liberis ex priori matrimonio existentibus, secundò nubant, cum maritus vi constitutionis in l. un. §. 6. Cod. de R. V. A. dotem non lucretur, sed soluto matrimonio uxoris hæredibus restituere teneatur: nisi pactum, de lucranda dote, fuerit adjectum t. t. ff. & C. de pact. dotal. quo tamen casu, si mulier secundò

secundò nubens liberos ex priori matrimonio habeat, dotis causa
 plus promittere non potest, quàm uni ex liberis prioris tori derelin-
 quit, l. 6. in pr. C. de secund. nupt. germanicè ein Kinds theil / quæ æqua-
 litas vel inæqualitas spectanda est, non ex eo tempore quo hoc pa-
 ctum interponitur, sed mortis illius binubi. Nov. 22. C. 28. Sichard. in
 d. l. 6. n. 4. ut tamen nihilominus singuli illi liberi integram habeant
 legitimam in bonis maternis, qua ante omnia deductâ, demum re-
 siduum est dividendum inter ipsos & vitricum, juxta formam d. l. 6.
 illam enim habent jure naturæ, hoc verò delicto transeuntis ad se-
 cunda vota ut ita unum quasi pœnale, alterum quasi rei persecuto-
 rium nullatenus impediatur. arg. l. 7. de condict. furtiv. l. 54. §. 3. de furr.
 Gail. 2. O. 82. n. 10. Berow. quest. fam. l. 119. nu. 3. ibique addition. ubi plures
 pro hac opinione allegat. Quæ actione verò hoc superfluum possit à Vi-
 trico revocari docet Sichard. d. l. num. 13. Ex eo autem, quod uxor
 sine expressa conventionem omnia sua bona in domum mariti attulit,
 concludere non licet, illa omnia esse in dotem data, cum dotalia ne-
 queant censer, nisi ea quæ nominatim & expressè vel data vel pro-
 missa fuerint. l. 9. §. 2. 3. h. r. est enim dotis datio contractus l. 23. de R.
 Inst. nemo autem contractum inire tacitè præsumitur, non habito
 contractu. l. 1. §. 3. de pact. l. 55. l. 57. de O. & A. Tum quoque mulier ha-
 bet quædam bona extra dotem, ut sunt paraphernalia, Eigne / vnd
 vorbehalten Güter / quæ uxor extra dotem secum asportat. &
 in domo mariti possidet: & receptitia quæ non modo extra do-
 tem, sed & extra domum mariti, veluti separata sibi habet &
 tenet. Quæ species ut rectè ab invicem distinguantur, dotale
 nihil dici debet, nisi quod expressè in dotem detur. Ex quo
 firmissimo fundamento dico, quòd nec tum dotalium nomine ve-
 niant, si mulier iis herum suum uti frui patiatur, cum enim quis
 patitur ab eo quem observat. & reveretur, patientia consensum non
 inducit, arg. l. 1. in fin. C. de bon. matern. Accedit quod dotis constitu-
 tio in facto consistat. l. 1. C. de dot. caut. l. 8. de capit. minut. facta autem
 non præsumuntur, nisi probentur l. 13. §. 2. de publician. l. 10. C. de non
 numer. pecun. marito itaque ejusve heredibus, qui bona dotalia esse
 dixerint, incumbit probatio d. l. 10. Gail. 2. O. 82. nu. 3. quibus tamen
 præsumptio ex priori matrimonio favet; ut si fœmina primo mari-
 to omnia bona in dotem dederit, eadem dos censeatur repetita à se-
 cundo nubente. l. 30. l. 40. l. 64. h. r. l. pen. §. 5. solut. matrimon. Neque libe-

liberum est marito ex hisce bonis pro suo lubitu sibi dotem consti-
tuere, sed debet eam ex præscripto legis *l. 7. §. 3. h. tit.* ab uxore con-
stante matrimonio petere. Quid ergo, si morosa in domo moretur,
quæ eam solvere nolit, licebitne viro forti eam expellere? Impium
fanè mihi videtur, sacratissimum illud jus matrimonii, cujus altissi-
mus Jehovah author est atque conservator, *Genes. 2. 18. Matt. 19. 6.* ob
defectum dotis velle violare, & matrimonia aliàs quieta inquieta-
re. Et licet leges nostræ Romanæ mariti potissimum gratia dotem
constitui velint, minimè tamen volunt, quod eâ deficiente matri-
monium debeat turbari, oportet etiam lucro præferri concordiam
maritalem *l. 5. C. de Institut. & substit.* irrationalibus illis divisionibus
penitus relegatis *Nov. 22. c. 18. in pr.* cum non mercedis causa contrahi
venalesque esse debeant nuptiæ, sed prolis suscipiendæ, gratiæque
& amoris causa vir cum muliere jungatur. *Plutarch. in Solon.* qua-
lis conjugum amor ac concordia solo animo debet aestimari. *l. 3. in
pr. de don. intr. vir. l. 11. C. de repud.* & non tam patrimonio, quam fide
l. 112. §. 1. in fin. de V. O. ne pretio conciliatus videatur, *d. l. 3. in pr.* quod
boni mores fieri vetant. *dict. l. 5. C.* Jus publicum potius invoca, &
potestate præditum adito, *l. 23. pr. quod met. causa.* qui dotem condi-
tioni & dignitati tuæ congruam ac pro modo facultatum mulieris
finire debet. *l. 60. h. t.* Contrarium tamen observari testatur *Gail. 2.
O. 87.* cujus rei etiam exempla non desunt, prout inter cætera illud
de Friderico Landgravio Thuringiæ cum Catharina Hennebergica
Henrici filia sub anno 1345. refert *Mart. Zeiler. in itiner. German. 6.
17. u. 36.* Si forte urgeas ex quo fundamento; jurabo, non liquere.
eum Icto in l. 13. §. 4. de recept. arbitr. l. 36. de Re jud. utcunque *Satlerus
disp. Basil. de jure medicorum corollar. 12. ex l. ult. C. ad SC. Vellei. Novell. 22.
c. 8. & cap. 7. extr. de donat. intr. vir. & ux.* invincibile pro hac opinione
argumentum extrui posse arguetur. *Conf. latè Sanchez. lib. 9. de ma-
trim. disput. 5.* Quod si mulier omnia sua bona in dotem dederit, fu-
tura vel postea quæ sita iis censi haud dixerim. *per l. 22. §. 5. ff. man-
dat. l. 69. de contrah. empt.* Crebrò autem evenire solet, ut mulier dum
de facultatibus suis amplius, quàm in iis fuit speravit. *§. 3. l. quib. ex
causis manumit. non lic.* in dotis constitutione, circumscripta & læsa
fuerit, quo modo incivile certè foret, tam benignam mentem, bonis
nudatam, ejusmodi rigidæ exactionis horrore percellere. *facit elegan-
ter cap. 18. extr. de censib.* prudenter igitur leges minori restitutionis
remedio

remedio succurrerunt. *l. 9. §. 1. l. 48. §. 2. de minor. l. un. C. si advers. dot.* modo tamen ipsa constitutio valeat; si enim ipso jure munita sit mulier, ut si prædia in dotem dederit sine decreto judicis, nulla est constitutio, cum sit quædam alienatio, quæ non interveniente decreto, fieri prohibetur. *l. 11. C. de præd. minor.* est enim præscripta regula: ubi quis ipso jure tutus est, restitutio tanquam remedium extraordinarium cessat. *l. 16. ff. de minor. l. 3. C. de Restit. in integr. Peretz. in C. si advers. dor. n. 2.* Quæritur si curator consenserit minori, quid juris? sanè, si dolo malo auctoritatem suam interposuit, sciens bona mulieris non esse sufficientia, ipso jure promissio non valet, quia lege rata non habetur auctoritas dolo interposita. *l. 61. in pr. h. t.* et si non tota obligatio, sed saltem quod amplius promissum est infirmetur. *d. l. 61. utile enim per inutile non debet vitari. l. 29. de usur. l. 1. §. 5. de V. O.* Sed si ipse curator sciens prudensque ultra quam facultates mulieris ferunt, promissit, donasse videtur, cum officium suum egressus, promittendo spontè se obligavit; aut quia dolo fecit, ipsi non succurritur. *l. 43. §. 1. de administ. & peric. tut. cum dolus nemini debeat patrocinari. l. 1. §. 1. de except. dol.* sin autem bona fide, quod rationem pupillarem sufficere crederet; valet quidem promissio, sed restitutionis beneficio læsa lætabitur. *d. l. 9. §. 1. de minor. dict. l. unic. C. si adv. dot.* hoc enim generale est in omnibus negotiis ex quibus minores restituuntur, ut licet curatorum auctoritas intervenit, & minores læsi proponantur, in integrum restitutio concedatur. *l. fin. C. si advers. rem judic. l. 1. & 2. C. si tut. vel curat. l. 29. in pr. l. 47. de minor. Frantz. in part. de Minor. num. 16.* Et hæc de minori apud Interpretes satis sunt aperta, de majori verò gravior & intricatior quæstio, an & huic læsæ succurrendum? Mihi cum Bachov. *ad Tr. h. d. 4. F. rem,* adhibita distinctione temperate volupe est, ut si in dotis constitutione læsa sit, non possit ei succurri *l. fin. C. ad SC. Vellei.* cum ne quidem indebitum, ex causa dotis datum, tanquam in causa maximè favorabili possit condici *l. 32. §. pen. de condict. indeb.* sin vero læsio in æstimatione contingat, ut si rem majoris pretii minoris æstimaverit, ei sit succurrendum. *l. 6. §. 2. l. 12. §. 1. h. t.* (b) aliæ personæ quæ dotem constituunt vel sunt parentes virilis sexus vel extraneæ *l. 35. h. t.* quo nomine omnes extra patrem comprehendo *l. unic. §. 13. C. de R. V. A.* Etenim dotem promittendo omnes obligantur, cujuscunque sexus aut conditionis existant, *l. 41. h. t.* adeo ut ne quidem mulier dotem pro filiâ

Q.

Q.

B.

filiã vel aliã muliere promittens, exceptione Senatufconfulti Velle-
 jani fe defendere poffit. l. 12. §. 25. C. ad SC. Vell. quod tamen ut ac-
 commodetur, necesse est actorem deducere & probare primum ma-
 trimonium fuisse licitum. d. l. fin. C. ad SC. Vell. nuptiasque reverã se-
 cutas. d. l. 41. §. 1. Deinde promittentem annum 25. exceffiffe, d. l. fin.
 minoribus enim datur reftitutio l. 9. §. 1. de minor. ut ita iudicium red-
 datur eluforium. Tertium, promiffionem factam effe abfque me-
 tu. l. 21. §. 3. quod met. cauf. & dolo. l. 61. in princ. h. t. quem comproba-
 re, effe contra bonos mores. l. 116. de R. I. Denique eandem non in
 fraudem creditorum factam effe. l. fin. §. 1. qua in fraud. credit. l. 2. C. de
 C. Revocand. his qua in fraud. l. 6. C. de jur. fifc. (c) quales funt Curato-
 res. l. 9. C. de adminiftr. & per tut. l. 28. C. de Epifcop. audient. qui tamen
 abfque iudicis inquisitione ac detreti interpofitione ut ne fraudi fit
 D. locus, res immobiles in dotem dare nequeunt. l. 22. verf. precipimus ita-
 que. C. de adminiftr. tut. (d) de quibus ð. fequenti.

T H E S I S III.

Dos ab alio de propriis conftituta (a) dividitur in profecti-
 tiam, quæ à patre vel avo proavoque paterno de bonis
 vel facto ejus effe profecta (b) & adventitiam quæ à
 quovis alio extraneo data (c) hæc filiæ propria; illa
 cum patre cujus in potestate effe, communis (d)

- A. (a) **F**Acilè potuiffet, juffa obfervatâ methodo, generalis Dotis di-
 vifio veræ fc. vel putativæ, huic fpeciali anteponi; fed cum il-
 la fatis manifefta, & ob id longiore verborum luce haud opus fit,
 eam hic attigiffe fufficiat: Meus labor hic effe, in iis quæ folicitam
 recipiunt dubitandi rationem, me exercere. Effe autem, ut dixi, hæc
 divifio non generalis, fed dotis, quæ filiæfam. ab alio datur pro-
 pria; cum dotem illam, quæ ab uxore datur, non nifi inconcinne ad-
 ventitiam dixeris, fiquidem adventitia dicuntur illa, quæ aliunde
 obveniunt. §. 1. Inf. per quafi perfon. nob. acquir. mulierem verò qui ex-
 traneam hîc vocare volet, peccabit contra rationem & fenfum com-
 munẽ. uti animadvertit accuratiffimus Bach. ad Tr. h. ð. 1. E. & ad Wes. h. n. 3.
 B. (b) descriptionem hanc descripsi ex l. 5. in pr. h. t. l. 2. §. 1. folut. matr.
 l. unic. §. 1. C. de R. V. A. Nec refert an pater habeat filiam in potestate,
 net ne, quia non jus potestatis, fed nomen patris dotem facit profe-
 ctiam.

titiam. *d. l. 5. §. 11. h.* Licet quoad hunc effectum, ut actio communis
 sit inter patrem & filiam *juxta d. l. 2. §. 1.* duo ista conjunctim requi-
 rantur, ita ut si dos data sit filiae emancipatae, pater in ea nullam ha-
 beat communionem, sed dos in solidum efficiatur filiae. *l. unio. §. 11. C.*
de R. V. A. Veruntamen cum non sufficiat, quando de natura hujus
 dotis agitur, dotem simpliciter à patre constitutam, strictius perscru-
 tandum an à patre qua patre proficiscatur. Nam si à patre datur
 alieno nomine, (ut quia fortè est administrator filiae, vel debitor
 ejus) tunc si solvat dotem, non facit ut pater, sed ut quilibet admi-
 nistrator, vel debitor & dotis potius adventitiae nomen merebitur,
 quam profectitiae *l. 5. §. 6. & 11. h. t.* In dubio autem ut parens, non
 ut extraneus dedisse praesumitur. *l. 7. C. de dot. promis.* licet filia pro-
 pria habeat bona & per se sit dives, ut ex propriis dotari possit. *Sich.*
in d. l. 7. n. 4. praesumptionis ratio est in officio paterno, qui filiam
 dotare tenetur. *d. l. 7. l. 19. de R. N. l. 43. de Leg. 3.* ut dotata melius nu-
 bere & maritum facilius invenire possit. *d. l. 19. l. 2. h. t.* Ex quo fonte
 est Impp. detretum *in d. l. 19.* quod pater, qui dotem filiae dare recu-
 sat, possit compelli, ut pro modo facultatum suarum, generique di-
 gnitate, filiam dotet. *d. l. 19. d. l. 7.* non quidem jure actionis, sed offi-
 cio judicis. *Gail. 2. O. 95. in pr.* An & filiam adoptivam, quaerunt Dd? Q.
 Ego distinctim respondebo, discernendo scilicet inter adoptionem &
 arrogationem, ut si extraneus adoptaverit, parens adoptivus dotare
 non teneatur; quia jura patris naturalis manent integra & perfecta,
 nec quicquam in adoptivum transit. *§. 2. Inst. de adoption. l. pen. C. eod.*
 si vero arrogaverit, vel alius non extraneus adoptaverit, cum filia
 in familiam atque illorum potestatem transeat, *d. §. 2. & §. 3.* eam do-
 te locupletare teneatur. *d. l. 19. h. tit.* An naturalem exconcubina Q.
 susceptam? arbitror patri quidem permissum esse eam dotare; non
 tamen cogi posse. *l. 8. & auth. licet patri. C. de Natural. Liber. l. 41. §. 11.*
de leg. 3. Interim tamen non nego ad Magistratus officium pertinere,
 si filia naturalis planè sit inops, nec sine dote maritum invenire pos-
 sit, ut pater ei dotem constituat, dummodo ne plus accipiat filia, in
 fraudem *d. l. 8. & Novell. 89. cap. 12. Bach. ad Tr. h. §. 2. h.* Durius jus no-
 strum civile procedit cum spuria, quam pater ne alere quidem, non
 dicam dotare, tenetur. *Nov. 89. c. fin. auth. licet. C. de incest. nupt.* qui ta-
 men juris civilis rigor aequitate Canonum est mitigatus, ut sicuti pa-
 ter tenetur alimentare spurium, *ex c. cum haberet extr. de eo qui dux. eam*
in ux.

in ux. quemad per adult. etiam teneatur dotare filiam spuriam, cum dos succedat loco alimentorum. *Gail. 2. O.SS. num. 6. 7.* quod maximè convenit juri naturali, quod filios educare jubet, *l. 1. §. 3. de l. & l. 6.*

Q. *jus naturale distinct.* licet enim sint spurii, attamen filii sunt. *Gail. d. l. n. 4.* An autem Dos illa possit excedere quantitatem alimentorum gravissima est controversia? Negativam tuentibus astipulor, cum dos illa ob alimenta detur, eorumque in locum subrogetur; quod autem ob causam datur, ab eadem moderatur & limitatur, *argum. l. 4. de l. & l. Gail. d. o. num. 8.* apte ad rem Baldus, Pater, inquit, potest dotare filiam naturalem, ut sibi placuerit: spuriam verò non nisi usque ad quantitatem alimentorum, quia quod ob certam causam permittitur, ad eandem recipit restrictionem *l. fin. in pr. de exercit. action.* & ita in terris Imperii observati testatur. Joseph. Ludovic.

Q. *commun. concl. 1. nu. 9.* Legitimatam quin parens dotare teneatur, mihi nullum dubium est, cum tales legitimè natis per omnia & in omnibus æquiparentur. *S. fin. Inst. de Nupt. Novell. 89. cap. 9. in fin.* Legitimatatio enim omne vitium antecedens purgat, remque in eum statum deducit, atque si inde ab initio matrimonium constitisset.

Q. *tanta extr. qui fil. sint. legit.* Utrum verò illam, quæ sine consensu patris nubit? cave ne hanc quæstionem intelligas de illa quam pater intra 25. annum in matrimonium dare distulit, hanc enim quin pater dotare teneatur, nullus dubito per *Novell. 115. cap. 3. §. 11. auth. sed si post. C. de inoffic. testam.* modo tamen honesta filia delata fuerit conditio, & pater eam invitâ filiam renuerit. De jure quidem nostro civili otiosa hæc est quæstio, in quo leges de necessitate consensus paterni notiores sunt, quàm ut ignorari, clariores quàm ut obscurari, sanctiores quàm ut aboleri possint, ut *eleganter Beza intr. de divor.* & consensus ille paternus tam necessarius, ut eo neglecto, nullæ nuptiæ, nulla dos, nullaque dotis exactio esse possit. *§. 12. Inst. de Nupt.* Sanè de jure Canonico, quia Canones antiquiores & sanctiores parentum consensum de necessitate requirunt, *cap. 1. caus. 30. quest. 5. & cap. fin. c. 32. quest. 2.* patrem filiam se invito nubentem dotare non teneri, videbo ut defendam. quamvis fortasse benignior sit contraria sententia, si pater justam reluctandi causam non habeat. Idem dico de hæretica. *cap. 14. de heret. in 6.* utpote quæ ab omni beneficio repellenda. *l. 19. in princ. C. de heret.* nec iisdem privilegiis cum orthodoxis censetur digna. *l. 1. & auth. item privilegium. Cod. eod. Novell.*

498.

Novell. 109. cap. 1. Ne tamen quis hinc, in re tam magni momenti, ex affectibus suis judicet, prout Pontificiæ religionis asseclæ nos Augustanæ confessioni addictos in numerum hæreticorum referunt, Politica consideratione, & secundum constitutionem pacificatæ religionis d. 25. Septembr. Anno 1555. in Comitibus Augustanis iussu Imperator. Caroli V. à Ferdinando Rege Germanorum & Statibus Imperii solenniter introductam. §. Sehen demnach. & §. Wo aber vnser. Et à Maximiliano Casare anno 1566. 30. May. in Comitibus Augustanis confirmatam §. Und nach dem dann nicht weniger. qua utraque religio tam Lutheranæ, quàm Catholica (uti vocant) in Imperio est permessa; definimus quod parens Catholicus filiam Orthodoxam, & vice versâ orthodoxus pater catholicam filiam dotare teneatur. Unde nemo negabit filiam Judæi ad fidem Christianam conversam à patre Judæo optimo jure dotem petere posse, per l. 13. in princ. Cod. de hæret. præsertim cum eorum bona ex usuris à Christianis extortis plerumque sint acquisita. Interdum etiam contingere potest ut pater filiæ secundò nubenti priore dote sine culpa sua vel dolo amissâ, novam constituere cogatur, per l. 19. de R. N. Novell. 97. cap. 5. in fin. ne cum maximo familiæ probro, deficiente matrimonii subsidio, turpem vitam eligere cogatur. Peretz. in Cod. de dot. promis. num. 12. Et hæc forsan de jure nostro civili carebunt dubio, cum illo uxores regulariter in patriâ potestate permaneant, l. 18. C. de Nupt. l. 2. §. 1. solut. matrim. l. 20. ad L. Jul. de adult. De moribus autem nostris gravior erit controversia, si pater permittat filiæ nubere viro, vel seorsim habitare, sive proprios lares habere, tum enim è sacris paternis exit, & quasi emancipatur, Vult. in §. fin. Inst. de patr. potest. num. 3. procul dubio propter rationem in R. A. zu Augspurg Anno 1548. sub tit. vom Sacrament der Ehe. §. darumb. ibi. Dann der vätterliche Gewalt dieser Vereini- gung des Ehestandes von rechtswegen weichen muß. Et in Constitut. Elector. 10. p. 2. ibi. Wie es bißhero im Gebrauch gehalten / daß die Kinder auß der vätterlichen Gewalt kommen seind / wann sie von ihnen geschieden se. mit Anstellung ihrer eignen Haushaltung / bey diesem Gebrauch lassen wir es auch nachmals verbleiben / &c. an igitur pater stante hac consuetudine filiæ iteratò nubenti dotem denegare poterit? & quidni poterit? cum per hanc domicilii mensæq; separationem emancipatio inducatur. Suth. diff. 2. aph. fin. emancipatam autè quòd pater dotare præcisè non teneatur constat ex l. 5. §. 12. l. 51. h. tit. l. 44. eod. Illi

B 2

enim

enim dotandi incumbit necessitas, qui liberos in potestate habet, *l. 19. de R. N. C. I. A. h. thes. 5. num. 3.* Et hæc de parte, venio ad avum paternum, qui etiam vivente adhuc patre neptem dotare tenetur. *l. 6. de collation. l. 7. §. fin. de in rem vers.* sed cum distinctione, si enim pater adhuc est sub potestate, verissimum est avum neptem dotare teneri; pendet enim hoc ex patria potestate sæpius *dict. l. 19. dict. l. 6.* Neptem vero hoc casu sub potestate avi esse, docet *§. fin. Inst. de patr. potest.* Sin autem pater est sui juris, tunc talis factus est, aut post conceptionem filix, & adhuc avus neptem dotare tenetur quia hoc casu, illa in potestate avi nascitur. *§. 9. Inst. quib. mod. jus patr. solv. aut ante conceptionem, & avus non tenetur ex dictis rationibus*

C. *d. §. Perez in Cod. de dot. promiss. num. 13.* (c) Extraneum hic voco omnem citra parentem per virilem sexum ascendentem, & personam dotatam in potestate non habentem, *cum l. 31. §. 1. C. h. tit. l. un. §. 13. in fin. C. de R. V. A.* Ex quorum numero prima est mater, quæ hoc dotandi onere non est astricta, in tantum ut si ea simul cum patre dotem promittat pro filia, mater censeatur intercedere uti fidejuben- & pater uti principalis: & si dotem promissam solvat maritum ad eandem sibi restituendam actione possit compellere. *Mastril. decis. 186. num. 8. 9.* Multo minus pater de bonis uxoris invitæ ullam dandi facultatem habet, *l. 14. C. hoc tit. l. 34. ff. eod.* nisi ex magna & probabili causa *dict. l. 14.* quam Dd. dicunt si pater vel avus sint inopes, & filia sine dote nubere non possit, mater verò dives. *Sich. in l. 7. C. de dot. promiss. num. 24. & 26.* Verum cum hodierna plurimum Europæ regionum consuetudo (secus enim est de jure civili, ubi nulla est bonorum societas inter virum & uxorem, sed distincta patrimonialia, distincta lucra, distincta damna. *l. 1. §. 15. de SC. Syllan. l. 12. C. h. tit. l. 1. & t. r. C. ne ux. pro marit. l. 11. C. de decurior. nisi speciali conventionione esset coita, ut fiebat nonnunquam l. 16. §. fin. de alim. legat. l. 17. §. 1. solut. matrim. Suth. diss. 2. aph. 16.*) communionem quandam bonorum inter conjuges introduxerit, *testante Arnif. de jur. con. nub. c. 7. sect. fin. n. 10. & seqq. Suth. d. diss. aph. 19. ubi plures allegat.* dicendum videtur matrem illis locis æquè ac patrem ad dotandum filias teneri, ducta ratione à societate universali, *l. 66. l. 73. §. 1. l. 81. pro socio. Perez d. l. n. 14. in fin.* Idem de avo materno censeo. *l. 45. solut. matrim. C. A. h. §. n. 13.* Ex linea collateralis adest frater, quem si dives & germanus sit, multi obstringunt ad dotem sorti constituendam *dicto argumen-*

gumento à contrario sensu in l.12. § 3. de administr. & peric. tut Bachov. ad Tr. h. th. 3. F. Perez. d. l. n. 15. in fin. quod regulæ superius ex l. 19. de R. N. proposito non usque quaque convenit. (d) De qua th. 7. A. D.

THESIS IV.

Omnes res (a) natura (b) & jure (c) solubiles (d) in dotem dari possunt, sive sint incorporales (e) sive corporales (f) immobiles (g) sive mobiles (h) propriæ (i) sive alienæ (k)

(a) **R**Ei significatio in jure nostro modò strictius sumitur, & op^o A. ponitur personæ & actionibus, §. fin. Inst. de l. N. G. & C. pr.

I. de R. D. l. 1. & 2. de stat. hom. modò latè; & tum obligationes, & actiones, t. t. de reb. corpor. & incorpor. l. 23. & V. S. l. 1. in fin. de Reb. cred. tum materiam & facta in obligationem deducta complectitur, prin. Instir. de Obligat. ibi. alicujus rei solvenda. princ. Instir. de Obligat. qua ex delict. nasc. postrema significatio huic loco adæquata est; Quarum rerum duplex esse potest consideratio, una de qualitate, altera de quantitate. Qualitatem quod attinet, constitui dos potest in omnibus rebus quarum est commercium. Tr. h. th. 4. in pr. non entia enim seu res fictæ sicut non recipiunt definitionem rerum verè essentiam habentium, ita nec obligationem subeunt; unde ultro transeunt

(b) quæ natura non sunt, nec esse possunt, l. 1. §. 9. de O. & A. l. 69. de B. V. O. quod enim non est, id ut existat, l. 31. de R. I. vel alicujus fiat, nulla obligatio efficere valet, l. 182. d. l. 1. 185. eod. & quæ non sunt in commercio vel absolutè, l. 83 §. 5. de V. O. §. fin. I. de empt. & vend. vel secundum quid l. 39. §. 8. & fin. de legat. 1. non etiam veniunt in stipulationem. (c.) hinc flumina publica §. 2. & seqq. I. de R. D. item res sa- C.

cras, sanctas, religiosas, & si quæ aliæ publico utui sunt destinatae, removemus §. 7. & seqq. I. d. l. sicuti enim mortales nihil à Diis immortalibus usucapere; sic nihil privati earum rerum, quæ publici juris sunt, sibi ullo tempore assumere & vindicare possunt. Liv. lib. 9. dec. 4. (d) id est, quæ æstimationem recipiunt, l. 103. de V. O. & pe- D.

cuniâ lui præstarique possunt. l. 9. §. 2. de stat. liber. quæ enim infinitæ sunt æstimationis, dispositionem inter vivos admittunt nullam, arg. §. 1. & 2. I. de inutili stipulat. (e) ut sunt hæreditas l. 13. §. 10. de hered. E.

§. 1. & 2. I. de inutili stipulat. (e) ut sunt hæreditas l. 13. §. 10. de hered. E. petit. usufructus. l. 7. §. 2. h. t. quo tamen in dotem dato, non ipsi fru- ctus, B 3 ctus,



Etus, sed jus ipsum in dote est, quodque soluto matrimonio restitui debet, d. §. 2. cap. 6. de donat. int. vir. quamvis & hoc pacto ususfructus in dotem dari possit, ut non ipse, sed saltem fructus inde percepti fiant dotales, & ita maritus usuras, quæ ex fructibus collectis & in sortem redactis percipi possunt. l. 4. de pact. dotal. Quin imò pacto etiam constitui potest, ut neque usuras lucretur maritus, modo mulier se suosque alere velit, atque universa onera expedire. d. l. 4. in fin.

Q. An & feudum? Tutius mihi videtur in hac quæstione uti distinctione; aut enim quæritur de ipsa filia ceu sponsa, & certum est, si ipsa de feudo sit investita, illud marito in dotem dare eam non prohiberi c. unic. 2. feud. 13. & 17. quia hæc datio vera alienatio non est, cum uxor rerum dotalium domina maneat l. 75. ff. & l. 30. C. h. t. quod tamen primò cum hac restrictione admittendum videtur, si feudum fuerit *inæstimatum*, ne, dum æstimatio est loco venditionis, l. 10. §. 5. ff. h. tit. l. un. §. 9. C. de R. V. A. feudum æstimatum marito venditum censeatur. Secundo si pactum de lucranda dote non fuerit adjectum, aliàs domini consensus erit necessarius Bachov. ad Tr. h. thes. 4. A. Fachin. 7. controvers. 78. Aut quæstio est de patre; & dico hoc casu feudum in dotem absque consensu domini dari non posse, cap. 1. §. donare. 2. F. 9. quam sententiam tanquam veriore receptam dicit Mynsing. 4. O. 86. quanquam commoditas rei feudalis ita in dotem dari possit, ut maritus fructus ex re feudali tantisper percipiat, quousque vixerit Socer Mynsing. dict. l. Gail. 2. de P. P. cap. 17. num 18. Fachin. d. l. Eadem ratio est de emphyteusi, vid. Schickh. in Logica jurid. loc. 19 num. 39. & 59. quam pater filix suæ in dotem dare potest, nec opus erit consensu Domini, si filia est de personis in constitutione hujus juris comprehensis, cum hoc casu dominium rei in præjudicium domini directi non mutetur, qui ab initio concessionis hanc licentiam, ut emphyteusis ad prædictas personas transire possit, dedisse videtur. Observatis tamen iisdem, quas modò in constitutione feudi allegavi, limitationibus. Perez. in C. de

Q. *jur. Emphyt. num. 10.* Utrum verò ex hac dotatione laudemium debeat, non aliena est ab hoc loco controversia? Communis est Dd. distinctio, quod emphyteusis data sit *aut æstimata*, ita ut eadem æstimatione emptio & venditio sit contracta, & certum est deberi, quia hac ratione dominium ipsius rei transit in maritum. l. 5. C. h. tit. & nova persona sub primæva investitura non comprehensa
substi-

570.

substituitur: aut inestimata, vel aestimata, quidem sed aestimatione non ad finem alienationis ordinata; & tunc non debetur, quia eo in casu dominium remanet penes mulierem in investitura paterna comprehensam. *Mastril. decis. 149.* Denique & in nominibus dos constitui potest, *l. 2. C. de O. & A. l. 49. solut. matrim.* ut vel usuras maritus ad perferenda onera matrimonii ex iis lucretur. *l. 71. & l. 77. h. r. vel ipsa nomina exigat. l. 33. dict. l.* Sed cujus sumptibus? quaestio Q. est indagazione dignissima. Mihi videtur uxoris, expensarum enim necessariorum viro sunt restituendae, & nisi restituantur maritus res dotales sibi retinere potest. §. 37. *l. de action. l. 5. de impens. in rem dot. fact.* igitur & haec expensae, quae sunt necessariae, quasque vir omittere nequit *l. 4. d. t.* atque omissae viro imputantur. *argum. l. 16. de fund. dot.* omnino restituendae veniunt. Accedit alia ratio in *l. 49. solut. matrim. ibi cui mandata sunt actiones,* Videtur enim maritus ab uxore constitutus procurator, ut ejus nomine debitorem exigat, *l. fin. C. quand. vel priv.* & pecuniam exactam dotis nomine retineat, quo modo impendia & sumptus bona fide factos mandati iudicio optimo jure petere potest, *l. 27. §. 4. l. 59. §. fin. mandat.* quamvis exiguarum expensarum non adeo rigide ratio haberi debeat. *l. 12. & 15. de impens. in rem. Gars. de expens. cap. 13. num. 37.* Quae vero sit parva expensa vel magna, iudex pro sua prudentia, attenta quantitate impensae, & valore rei in qua facta est, facile iudicabit (f) *t. t. ff. & F. C. de fund. dot. l. 39. h. t.* (g) *l. 50. C. h. t.* ut domus, fundus *l. 23. G. C. h. l. 6. 7. solut. matrim.* praedia tam urbana, quam rustica. *l. 13. in pr. de fund. dot. l. Wesemb. in par. h. num. 3.* (h) *d. l. 30. C. h.* quae pondere H. re, numero & mensura constant, velut pecunia *l. 42. h. t. l. un. §. 7. C. de R. V. A.* quarum appellatione etiam moventes intelligimus *l. 93. de V. S. d. §. 7.* harum autem dominium ad maritum pertinet, quia hoc sine dantur, ut iis maritus ad arbitrium suum utatur, easdem distrahat, *l. 3. §. 2. de suis. & legit. l. 3. C. h. tit. l. 1. & ultim. C. de serv. pign. dat.* & soluto matrimonio ejusdem generis & qualitatis alias restituat *dict. l. 42. h.* modo tamen sit solvendo, *argum. l. 1. ibique Gothoff. C. de serv. pign. dat.* (i) Nec interest an pars rei communis divisa, I. an pro indiviso in dotem detur. *l. 16. C. h. t.* (k) *l. 6. §. 1. l. 34. h. tit. K. l. un. C. de usucap. pro dot.* ita ut soluto quoque matrimonio rei uxoris actione repeti possint, *l. 11. solut. matrim.* Licet omnino fatendum sit, quod huiusmodi dotis constitutione, non praedudicetur vero

vero domino, qui jus suum integrum retinet, rei que suæ vindica-
 tionem habet, *dict. l. 34. & l. 67. h. t.* nisi bona fide sit usucapta *d. l. 67.*
 conceditur tamen marito re evicta in dantem de evictione actio *l.*
34. & 67. h. t. *Perez. in C. h. t. num. 8.* quo tamen in casu ut notabili va-
 riè sunt adhibendæ distinctiones, vel enim præcessit conventio de
 dote danda vel non; *priori casu*, marito actio de evictione datur, &
 quidem vel condictio ex lege, si pollicitatio; vel ex stipulatu si stipu-
 latio fuerit interposita; licet maritus cum rem acciperet alienam
 esse sciverit. *l. 13. C. h. t. posteriori casu*, ubi dos sine promissione tradita
 est, interest iterum an res fuerit data æstimata; & tanquã re venditã ex
 empto cõpetit actio *l. 16. h. t.* an verò inæstimata: & hoc an bona fide
 ut tum marito nõ detur de evictione actio, an dolo malo, ut tum pro
 qualitate personarum aut actio de dolo, si scil. ab extraneo, aut, si
 ab uxore vel socero fuerit tradita, in factum subsidiaria detur, *quas*
distinctiones tradit l. 1. Cod. h. tit. & ex illa Sichard. ad dict. l. 1. Bachov. ad
Tr. in supplemento primo ad th. 5. D. disp. 2. vol. 2. Frantzke in c. de evict. n. 522.
 Q. & seqq. An autem maritus in iudicio conventus tenetur illi qui do-
 tem dedit, denunciare, ut ad defendendum veniat? Sic puto: *fretus au-*
thoritate l. 8. 9. & 23. C. de evict. arg. l. 53. § 1. ff. eod.

T H E S I S. V.

Visa causa materiali ad formalem nunc transeundum (a)
 Et constituitur quidem dos (b) tam ultima volun-
 tate, testamento sc. codicillis & aliis modis (c) quam
 inter vivos, vel nudo consensu seu Pollicitatione
 (d) eaque definita (e) autè indefinita (f) vel cum
 facto conjuncto (g) & hoc vel æstimatò (h) vel
 in æstimatò (i)

- A. (a) **D**ixi paucis de causa efficiente & materiali dotis, præcipua
 dicendi seges jam nascitur ex causa formali quam iusto ser-
 vato ordine, qui in proferendo plurimum momenti habet, *Eberhar.*
à Middelburg. in top. legal. loc. ab ordin. 1. quique memoriam aliàs la-
 bilem & fragilem *l. 44. Pr. de A. vel A. poss.* plurimum adjuvat. nunc
 B. aggredior (b) aliter tamen Dos ipsa, aliter ejus obligatio consti-
 tuitur. *l. 46. h. t. & t. t. C. de dot. promif.* quemadmodum distinguit
 Nobi.

507.

Nobilis. ac Amplis. Dn Præses Præceptor ac Patronus perpetim
colendus, de obligat. successor in offic. c. 8. n. 15. in fin. hæc ut oriatur
actio de dote petenda constituitur (c.) *testamentol. 48. §. 1. h. tit. l.* C.
4. ubi pupil. educ. deb. legatol. 71. §. 3. de condit. & demonstr. & mortis
causa donatione l. 76. h. t. l. fin. C. de donat. mort. caus. ejusmodi ta-
men promissiones, cum dos oneribus matrimonii inservire debe-
at, à muliere factæ non valent *d. l. 76. h. t. (d)* utpote nudo pacto, D.
arg. rubr. & l. 6. C. de dot. promiss. l. 13. C. h. t. fuit quidem olim & alia
species in usu, nempe dotis dictio, quam *Vlpian. in fragm. tit. 7.*
in pr. ita describit, quod ea nulla præcedente interrogatione fuerit
contracta, dum mulier sive sponso sive jam marito uxor futura do-
tem dixerit, veluti mille tibi doti erunt, aut quod mihi debes, do-
ti tibi erit, *vid. Briffon de jur. Connub. fol. 183. Bocer ad l. 23. de R. l.*
C. 4. n. 100. sed illa hodie penitus in observantia esse desiit, ut ne
quidem vestigia ejus in jure Justiniano supersint. *Vult. in pr. l. de*
V. O. n. 12. postea autem ex solo pacto ut obligatio dotis efficax na-
sceretur constitutum fuit *d. l. 6. C. de dot. promiss. l. fin. C. ad Sc. Vellei.*
quod pactum cum communi Dd. Schola legitimum esse puto, *per*
d. l. 6. C. Bach. ad Tr. h. th. 3. G. & ad Wes. h. n. 4. qui tamen correctio-
nem legum inducens, quasi *d. l. 6. per l. vnde. C. R. V. A.* esset sub-
lata, hanc quæstionem hodie supervacuum esse perhibet, quod
non approbandum videtur, *propter l. 41. de O. & A.* Vnde collit-
tur quod cum expressè condictio ex *d. l. 6.* competens per *l. unic.* non
tollatur, sed stipulatio ipsi tantum adiciatur non solū pro promissa
dotis exactione competat condictio ex *d. l. 6.* sed & actio ex stipu-
latu ex *d. l. un.* Secundò stipulatione *l. 20. ff. h. t. l. 3. l. 6. C. de dot. pro-*
miss. eaque tam absoluta quàm respectiva, seu fidejussoria, sicuti
pro dote promissa præstanda rectè fidejussor interponitur. *l. 5. §. 7.*
h. t. & interpositus omnino tenetur. l. 55. h. t. l. 60. §. 1. mandat.
quamvis è contrario mulier pro dote sua conservanda & restituenda
fidejussorem à marito accipere nequeat *t. t. C. ne fidejuf. dot. dent.*
additâ ibidem ratione pulcherrimâ, ne sc. inter maritum & uxo-
rem perfidiæ oriatur occasio *l. 2. d. t. dum uxor quæ se suamque vi-*
tam marito credidit l. 8. C. de pact. convent. c. 7. v. cum ergo ext. de do-
nat. inter virum & uxor plus fidejussoris quàm mariti fidei tribuere
videtur. Quod propter textus generalitatem & rationum pepe-
tuitatem etiam de eo casu cum maritus sponte suâ fidejussorem ob-
tulit,

C

tulit,

tulit, intelligimus, tum quia maritus nunquam hoc onere, quod in jure nostro non grave tantum, sed & contumeliosum habetur *l. 17. § 3. in fin. de testam. tutel. se onerare velle præsumitur*: tum quia ita beneficium illarum legum marito inutile futuram sit, cum mulier semper oblatos uliro sibi fidejussores dixerit, neque etiam maritus citra propriae turpitudinis allegationem se ab uxore coactum prætere potest *Bach. ad Tr. h. th. 4. & G. ad §. 1. I de fidejuss. n. 2.* Sane si ad inopiam vergeret maritus, ut dotis exactio non sufficiat, aliud dicendum & maritus ad satisfactionem compellendus foret *C. per vestras x. de donat. inter. virum & uxor. Gail. 2. O. 84. n. 10* tum enim illa prædominatur ratio, quod Reip. intersit mulieres dotes suas habere salvas *l. 2. h. t.* Quanquam Perez in *C. h. t. n. 4.* putet, quod hodiernis moribus propter inopiam mariti, qui vel negligentia sua vel culpa labitur, non opus sit fidejussore, cum uxor exeat è manu viri & fiat inter conjuges separatio bonorum, ut seorsim uxori concedatur rerum suarum administratio. Cessat autem illa ratio prohibitiva ubi matrimonium est solutum, *l. 7. pr. de except.* unde etiam illo casu fidejussor datus in solidum est obligatus *d. l. 7. l. 24 § 2 solut: matrim. Perez. in C. ne fidejuss. dot. n. 5.* Cessat denique hæc ratio in extraneo, si is pro muliere dotem dans, eam sibi soluto matrimonio reddi stipuletur. *l. unic. §. 43. C. de R. V. A.* is enim rectè pro dote conservandâ fidejussorem exigere potest. *Perez. d. l. n. 4. Bach. ad Tr. h. th. 4 G.*

Tercio delegatione, quando mulier vel extraneus alius debitorem suum marito solvere jubeat: vel si efficit, ut debitor marito tantum dotis nomine promittat, quantum debet *l. 41. pr. de R. Judic. E. l. 36. l. 41. § 3. & 4. l. 56. pr. & 59. pr. ff. h. t. C. A. h. th. 10. n. 4. (e)* quando sc. certa species vel quantitas certa exprimitur *l. 69. § 4. ff. h. t. l. 1. & 3. C. de dot. promiss.* certa autem est, si ex natura sua & pronuntiatione apparet, quid, quale & quantum sit promissum *l. 74. & seq. de V. O. l. 6. de reb. ered. conf. Frantzk. in ff. ad d. tit. n. 27.*

F. (f) Quando è contra neque species, neque quantitas certa promittitur *d. l. 69. §. 4. d. l. 1. & 3.* Estque hæc promissio indefinita verè & simpliciter talis, quando simpliciter dictum est dotem dabo: vel cum arbitrio *d. l. 69. §. 4. d. l. 3.* Arbitrium autem boni viri hanc vim habet, ut incerta licet promissio sit, ea tamen non planè sit nulla & inutilis, sed ut dos promissa detur pro modo facultatum

312

cultatum promittentis, & mariti dignitate atque numero libero-
rum *l. 60. l. 69. §. 4. h. t. l. 43. de Leg. 3.* Quod si verò absque arbitrii
mentionem dotis promissio facta sit, major est difficultas an illa va-
leat? Et licet certum sit, quod indefinita promissio non valeat,
l. 94. §. 115. de V. O. attamen si pater dotem promisit, ejusmodi in-
definitam promissionem validam esse dico, *per l. 69. §. 4. h. t.* cum
enim pater ex officio teneatur filiam dotare, *l. fin. C. de dot. promif.*
censetur ei dotem, quamvis incertam pro viribus suæ facultatis, &
officio debito filia promississe, *Giph. in l. 1. C. de dot. promif.* in ex-
traneo verò qui nihil debet, dicta regula *ex l. 94. §. 115. de V. O.* suum
faciet officium. *C. A. h. th. 9. Wes. in Par. h. n. 5. Perez. in C. de dot.*
promif. n. 4. (g) Dos hisce ut diximus modis constituta, facta hoc
est rei traditione consummatur, quæ vel vera est, cum de manu in
manum transfertur. *l. 23. ibi dotis datio de R. I. l. 46. pr. h. t. l. 5. §. 22.*
solut. matrim. vel ficta, quæ sine translatione fit per alium actum qui
fictione & interpretatione juris est loco traditionis § 44 & 45. *I. de*
A. R. D. l. 1. §. 21. l. 18. §. 2. de acquir. pos. veluti si quis permittat alteri
dotis nomine fando suo uti frui, *l. fin. de servitut. l. 3. in pr. de usufr.*
vel cum instrumentum auctoritatis, sive dotis nomine traditur,
arg. l. 1. C. de donat. & cui ejusmodi instrumentum datum est, potest
tanquam dominus rem ab eo qui dedit instrumentum vindicare *d. l. 1.*
plures modos recenset. C. A. h. th. 10. (h) l. 10. in pr. §. 1. l. 12. in pr. § H.
§. 1. l. 14. ff. l. 5. C. h. t. l. vn. §. 9. C. de R. V. A. cum res certo pretio æsti-
mata datur, & hoc vel simpliciter Venditionis causa sit
qualis circa dotis constitutionem plerumque in dubio
presumitur *l. 5. §. 1. l. 10. C. de jur. dot. l. 10. §. 4. ff. eod. d. l.*
vn. §. 9. in fin. C. de R. V. A. Vel tantum ideo ut constet, quanti res
sit. *l. 10. §. fin. l. 69 §. 7, h. t.* si convenerit, ut non pretium rei æsti-
mata, sed res ipsa eodem pretio restituatur; ex qua conventionem
maritus omnino rem, si adhuc extet, restituere tenetur *l. 21. C. h. t.*
pacta enim licita, & quæ dotis causam non deteriore reddunt
semper sunt servanda *l. 1. C. de pact. convent. l. 14. §. 16. de pact. dotal.*
licet eam alienaverit uxore invita *l. 50. solut. matrim.* secus tamen si
illa volente & ratum habente *l. fin. pr. de pact. dotal.* Priori casu fa-
cit æstimatio, ut maritus pro lubitu suo possit res in dotem datas
alienare *l. 56. §. fin. vs. nam si desinit. l. 61. §. 1. vers. atqui h. t. l. 12. §. 3. §*
4 de pact. l. 11. de fund. dotal. est enim ejus electio, utrum uxori red-
dere velit res ipsas, an earum æstimationem *l. 10. §. fin. ff. h. t. l. 5.*

C. eod. Existimat quidem Bach. *ad Tr. h. th.* 4. B. postquam ex l. 30. C. h. t. mulier etiam res aestimatas soluto matrimonio vindicare potest, aestimationem revera amplius non inducere venditionem. Id tamen ex d. l. 30. non videtur necessario sequi. Deinde vi hujus aestimationis plenum & irrevocabile dominium facta traditione consequitur *l. unic. §. 9. C. de R. V. A. l. 5. l. 10. C. h. t. l. 29. in pr. de pact. dotal.* de quo plenius infra. Ex quo, tertio sit, ut sicuti omne lucrum, ita quoque omne damnum constante matrimonio in rebus aestimatis contingens, mariti sit & non uxoris, *l. 10. in pr. ff. & l. 10. C. h. t.* Idem dicere licet de iis rebus quae pondere, numero & mensura constant, *l. 42. b. t.* harum enim rerum natura est, ut functionem in genere recipiant, hoc est, ut si non clausae vel ob signatae dentur, hoc tacite agi intelligatur, ut fiant accipientis, atque ut non eadem, sed alia ejusdem generis corpora reddantur *l. 2. §. 1. de Reb. cred.* Quandoquidem verò saepius contingit, ut aestimatio verum justumque rei pretium excedat, ex quo non leve rei familiaris damnum emergere potest, liberum est marito, si probare velit, se in aestimatione rerum dotalium circumscriptum esse, ut vel obmodicam laesionem aestimationis emendationem petere possit. *l. 6. §. fin. l. 12. §. 1. b. t.* Societas enim vitae, communisque quae est inter conjuges, amicitia, non patitur ut alter ex alterius damno locupletetur, *d. l. 6.* Et certe si in quoquam iudicio bonae fidei, maxime in iudicio dotis aequitas spectari debet, cum actio rei uxoriae vel maxime fuerit bonae fidei. *Cut. 17. o. i. Bach. ad Tr. h. th. 4. F.* Hoc tamen praesupposito, ut res dotales adhuc extant, quae iterum aestimari possint, alioquin restituendum est pretium dotali instrumento comprehensum. *l. 6. in fin. C. solut. matrim. Perez in C. d. tit. u. 10. (i) l. 10. in pr. & §. 1 b. t.* quando res nulla aestimatione interveniente dantur, quae proprie dotales sunt. *l. un. §. 9. & 15. C. de R. V. A.* quarum quidem dominium etiam penes maritum est, *l. 23. C. h. t.* cum per dotis dationem alienatio fiat, *l. 1. §. 5. & 6. quand. de peul. act. ana.* & res marito acquirantur *d. l. 23. C. h.* Amplius. & *Consult. Dn. D. Biccus sect. 3. aureor. th. 54. ibi in not.* quod tamen dominium non est absolutum & perpetuum, ut in rebus aestimatis, sed quam diu durat matrimonium: quo soluto uxor dotem repetere potest, ut quae naturaliter in dominio ipsius permansit, *l. 30. C. h. t.* Et maritus eam restituere tenetur, *l. 7. §. 12. solu. matrim.* nisi res perierint: periculum enim rerum in aestimatarum

373
203

tarum ad mulierem pertinet, non ad maritum, qui hoc casu species debitor est, & interitu illius liberatur *d. l. 10. §. 1. & pr. Perez. in C. b. n. 6.* Vnde mirum non est quod Iustian. maritum dotale prædium etiam consentiente muliere alienare prohibuerit, quamvis ipsius sit causa dotis datum, *pr. l. quib. alieni lic.* Quod tamen de jure Canonico, si uxor jurato consenserit secus est, *c. 2. de jurejur. in 6. c. 28. extra de jurejur.* cum ejusmodi juramentum in alterius præjudicium non redundet, nec observatum vergat in dispendium salutis æternæ *Gail. 2. O. 42. n. 8. Perez. in C. de fund. dotat. n. 9. Sarholt. diss. 6. aph. 48.* Deinde in rebus mobilibus, quas maritus libere alienat *l. 3. §. 2. de suis & legit. l. 3. C. b. t. l. fin. C. de serv. pign. dat.* Neque vicissim uxori ejusmodi fundum dotalem alienare licet, cum illa hac alienatione præjudicaret marito qui onera matrimonii ferre cogitur *l. 20. c. b. t. l. 7. ff. eod.* Quo respectu fundus dotalis eleganter à *gloss. in l. 16. ff. de testam. militar* comparatur rei sacræ. *Sic h. ad l. 23. C. b. t. n. 15.* ubi etiam quasdam recenset exceptiones quibus mulier prædium dotale alienare possit.

T H E S I S V I.

Dotem ita constitutam hic sequitur *finis*, ut maritus onera matrimonii ferat, (a) & effectus ut ex *promissione* oriatur actio qua maritus eam exigat, (b) *ex traditione* facta, maritus fiat dominus dotis (c) atque fructus lucretur. (d)

A.

Q.

(a) *l. 20. C. b. t. l. 21. §. si uxor. de donat. interim vir & ux. de qua supr. ib. l. 1. G.* An verò maritus, cui uxor maximam partem bonorum suorum in dotem dedit, quam vel pacto vel lege municipaliter lucretur, oneribus respondere teneatur, non inutilis est quaestio: distinctionis fœdere hic utar distinguendo inter onera hæreditaria & realia: si onera sunt hæreditaria, spectant ea ad successores universales, qui uxoris nomine pensiones solvere coguntur non ad maritum, qui est successor singularis *l. 27. C. b. t. l. 1. C. si cert. petat. l. 21. §. 1. in fin. de Neg. gest.* Quanquam si mulier bona quædam creditoribus specialiter obligata in dotem dedat, maritum oneribus satisfacere debere putarem *l. 13. C. de donat. ant. nupt. arg. l. 15. C. de donat.* Speciale autem quid hic habet actio funeraria, pro
C 2 expensis



expensis in funus uxoris factis, contra maritum instituta: æquif-
simum enim Antiquitati visum est, eum qui morte uxoris dotem
lucrat, in funus pro portione sumptuum & portione dotis con-
ferre *l. 16. l. 22. de relig. & sumpt. funer* & ubi emolumentum est, ibi
& onus esse debere *pr. l. de legit. patr. tut.* Sin v. onera sunt *reali*,
quæ propter rem & ex re imponuntur, omnino tenetur maritus:
Hæc enim sequuntur rem ipsam tanquam umbra *l. fin. C. sine cens. vel*
reliq. nec tam personæ quam prædia ipsa conveniri *censentur l. 7. de*
B. *publican. & vectig. Sieh. in l. 27. C. h. t. (b)* de jure veteri quidem
erat distinctio inter dotem pollicitatione & stipulatione promif-
sam; illa actione ex pacto legitimo *l. 4. & 6. C. de dot. promis. l. 1. C.*
de pact. convent. hæc actione ex stipulatu exigebatur *l. 3. C. de dot. pro-*
Q. *mis.* Verum hodie Dos quovis modò promissa actione ex stipula-
tu peti potest, quoniam semper stipulatio interposita fingitur *l.*
unic. in pr. C. de R. V. A. An verò hæc actio sit bonæ fidei an stricti
juris, gravissima est Dd. controversia? Mihi stricti juris eam esse,
ex jure verius videtur, nam ut certissima juris habet regula: actio-
nes ex stipulationibus ortæ omnes sunt stricti juris, nec reperitur
in jure nostro hæc actio ex stipulatu, quæ marito pro dote petenda
competit, excepta à regula: igitur firma manet, donec de exce-
ptione doceatur *fac l. unic. §. 2. C. de R. V. A.* Requisita ejus duo po-
nit Vult *in §. 26. l. de action. n. 14.* primum ut matrimonium legitime
sit contractum; alterum ut dos promissa nondum sit soluta. Cæ-
terum marito etiam actio hypothecaria competit, qua persequi-
tur jure pignoris possessionem bonorum ejus qui dotem promisit,
d. l. unic. §. 1. Et actio ex testamento, si socius genero suo dotem
legaverit *l. 48 §. fin. h. t. l. 71. §. fin. d. condit. & demonstr. C. A h. tit. 3. th 11.*
C. *(c)* De qua thes. præcedenti lit. F. & I. *(d) l. 7. pr. l. 10. §. 3. h. t.*
D. æquum enim est; ut qui matrimonii onera subiit, etiam fructus
lucretur *d. l. 7. in pr.* Fructuum vero nomine veniunt (1) quæ nas-
cuntur ex rebus in animatis, ut sunt poma, uvæ, vinum, oleum &c.
l. 78. de R. V. & arbores si cæduæ fuerint. l. 7. §. 12. solut. matrim. &
quicquid in argenti, auri & cretifodinis nascitur. d. l. 7. §. 13. & 14.
P. An & thesaurus? Negat *d. l. 7. §. 12. ibi. in fructum non computabi-*
P. *tur fac. l. 63. §. 3. de Acquir. rer. dom.* Si verò maritus thesaurum in
fundo dotali inveniatur, cui cedat, est in controversia? Mihi D. Bitfch.
Antecessoris quondam hujus Academiae celeberrimi opinio in
tract. de thesaur. th. 180. & seqq. videtur optima: quia maritus con-
stante

504.

stante matrimonio revera est Dominus rei dotalis *pr. l. quib. alien. l. v. th. preced. lit. l.* ideo quicquid invenit in suo invenisse dicendus est & propterea id ipsum suum facit. §. 40. *l. de R. D.* verum quia soluto matrimonio fundus dotalis mariti esse desinit, atque uxori restituendus est, ideo pars dimidia istius thesauri una cum fundo restitui debet, *d. l. 7. §. 12 in fin.* (2) fructuum appellatione continentur ea quæ nascuntur ex animalibus brutis, ut fœtus, lac, pilus, lana §. 38. *l. de R. D.* (3) usuræ quæ pecuniæ fructus dicuntur *l. 88. §. fin. ad L. Falcid. & pensiones prædiorum l. 36. de usur. d. l. 7. §. 11.* Sed utrum maritus etiam fructus bonorum paraphernalium suos faciat, ita ut ad restitutionem illorum non sit obligatus, intricata est quæstio? Ad hic plerumque duos casus distinguunt: primus est, quando maritus permittente uxore hæc bona administrat, quo casu si fructus illorum adhuc extant, uxori restitui debent; sin verò non extant, non debent restitui, quia in communem usum consumpti præsumuntur *l. 17. C. de donat. inr. vir. & ux. l. fin. C. de pact. covent.* Alter casus est, quando maritus bona paraphernalia uxore non consentiente administrat, fructusque percipit, atque consumit, & tum pretium omninò restitui debet *d. l. 17.* Quod si verò in dubio res versatur, nec apparet, an maritus consentiente uxore bona illa administraverit, nec ne; verius videtur si dicamus quòd maritus lucretur fructus, cum is in dubio intelligatur fructus in usus communes impendisse, quæ sententia tanto magis procedit quando uxor scivit, maritum administrare bona sua paraphernalia, & tacuit longo tempore; talis enim diuturna patientia & taciturnitas habetur pro expresso consensu *l. 6. §. 2. l. 18. mandat. Tr. h. th. 9. B. ibique Bach.*

T H E S I S, VII. & Ultima

Matrimonio autem soluto (a) uxor dotem (b) una cum fructibus vel ante nuptias vel iis dissolutis perceptis (c) repetit à marito (d) eiusvè hæredibus (e) actione ex stipulatu bonæ fidei. (f)

(a) Q Uod contingit potissimum morte alterius conjugis Rom. A. 7. v. 2. 3. si morte uxoris, dos quam ipsa mulier dedit, ipsius

ipſius hæredibus cedit *l. vnic. §. 6. C. de R. V. A.* niſi liberos reliquerit, tunc enim apud maritum ut legitimum adminiſtratoreſ, remanet. *l. Fin. §. 1. ut legat. cauſ. cau.* dos verò profectitia filiæ. *l. 6. in pr. b. t. l. 4. c. ſolut. matrim. l. 15. ff. eod. vel emancipatæ l. 5. §. 2. b. t. l. 10. & 59. ſolut. matrim.* ſuperſtiti patri qui eam dedit, à marito redditur *d. l. 6. ibique Gothofr.* etſi liberos ſuperſtites uxor reliquerit *l. 30. b. t. l. 26 §. 2. pact. dotal* quanquam hoc caſu quia onera matrimonii, quorum cauſa dos dari ſolet. *l. 20. C. b. t.* adhuc durant, maritumque aggravant. *l. 56. §. 2. b. t.* onus videlicet educandorum liberorum *l. 46. famil. erciſc.* ut dos illa apud maritum remaneat æquius putarim quam ſententiam conſuetudine receptam eſſe cum Teſſaur. tradit Perez. *in C. ſolut. matrim. n. 5. in fin. ex Salicet. Bach. ad Tr. b. th. ii. C.* Sed dos adventitia ſimpliciter data ab extraneo ſoluto matrimonio morte mulieris apud maritum olim remanebat. *Vlp. tit. 7. §. 2.* hodie verò ad hæredes mulieris tranſit. *l. unie. §. 6. & 13. C. de R. V. A.* niſi extraneus illam ſibi reddi ſtipulatus ſit *d. §. 13.* Sin morte mariti, ipſa vidua repetit dotem non ſolum quam ipſa dedit *l. fin. C. ſolut. matrim.* ſed & adventitiam *arg. l. 2. §. ſolut. matr.* ubi tamen de jure antiquo, ſi filia in poteſtate patris adhuc erat conſtituta, actio cum patre erat communis, *Vlp. in frag. tit. 7. §. 3.* ſecus ac de jure hodierno, ex quo ea ſola dotem petit. *l. 45. in fin. ſol. matrim. l. fin. C. de bon. que liber* in iis enim bonis quæ pleno jure ad liberos pertinent, nullam pater habet actionem, ſed ſaltè ſuum conſenſum accommodare debet. *d. l. fin. in pr. verſ. & filius* dotis verò adventitiæ eadem ferè eſt natura atque eorum adventitiorum quæ pleno jure liberorum ſunt *Bach. ad Tr. b. th. 10. lit. C. Althuf. diceol. lib. 1. c. 89. n. 40.* niſi tamen dos eſſet receptitia *d. l. un. §. 13. l. 29. §. 1. ſolut. matrim.* vel ſit quidem receptitia, quatenus ille qui dedit uno tantum caſu eam ſibi reddi ſtipulatus eſt; ſed matrimonium ex alio caſu diſſolvitur *l. 22. ſolut. matrim.* Profectitiam verò dotem, quia ea communis eſt filiæ cum patre *l. 2. §. 1. ſolut. matr.* pater conſentiente filia repetit. *l. 71. de evict. l. 14. in pr. ad L. falcid. l. 2. 7. C. ſolut. matrim.* adeo ut ſi parens abſente filia agere velit, ne illa poſtea domum reverſa, ruruſ agat, cautionem derato præſtare debeat *l. 39. §. 3. de procurat. l. 2. §. 2. in fin. ſolut. matrim.* Si tamen Pater propter impedimentum quoddam agere non poſſit *l. 22. §. 4. & 10. ſol. matr.* Deinde filia ſit emancipata, illa pro ſuo arbitratu dotem

505

dotem tam adventitiam quàm profectitiam repetere potest. *l. unic. §. 11. C. de R. V. A. l. 71. de evict. l. 34. solut. matrim.* adeo ut & hoc casu eadem etiam actio contra ipsum patrem competat. *l. 44. in princ. solut. matrim.* Unde facile constabit quod hodie, cum filia per matrimonium habeatur pro emancipata, uti *sup. §. 3. B. dictum* frustranea sit disputatio de jure repetendæ dotis inter patrem & filiam communi *argum. l. 22. §. 5. dict. l. Althus. d. l. num. 38 (b.) l. fin. Cod. solut. matrim.* B.

Dummodo dos realiter sit soluta: nulla enim traditione facta, dos tantum promissa repeti non potest. *l. 1. C. de donat. ant. nupt.* Licet in dotalibus instrumentis eam datam esse conscriptum fuerit. *l. 1. l. 3. C. de dot. cant. non num.* cautio enim nuda seu tenor inanium dotalium instrumentorum, ut ait. *l. 9. C. de bon. proscript.* dotem non facit. *d. l. 1.* quare si mulier ejusve heredes iis innitentes dirempto matrimonio dotem non numeratam repetant, exceptione non numeratæ pecuniæ repelluntur *d. l. 3.* modo ea justo legitimoque tempore opponatur: videlicet si per biennium tantum matrimonium stetit, intra annum continuum à morte conjugis vel missione repudii computandum *l. 3. C. eod.* vel intra tres menses, si ultra biennium usque ad decem annos duravit; sin verò decennium transcurrerit huic exceptioni nullus amplius locus datur, *aut quod locum. C. eod. Novell. 100. cap. 1. & 2.* quamquam maritus, si sit intra ætatem, hoc est, annos 25. beneficio restitutionis in integrum uti possit. *dict. cap. 2.* Sanè si præter dotale instrumentum quo dos promissa fuit, maritus apochâ confessus fuerit, se dotem accepisse; hæc excipiendi & defendendi facultas ei denegabitur. *l. 14. §. 1. Cod. de non numer. pecun.* Sed an Q.

confessio illa dotis receptæ facta à marito, censeatur facta spe futuræ numerationis, an vero animo donandi, quærunt Dd. Mihi sententia existimantium, hanc confessionem non animo donandi, sed spe subsequituræ numerationis factam esse, videtur verissima, cum donatio non sit admittenda in dubio, si aliæ conjecturæ sumi possunt. *l. 50. de solut.* Si autem de animo donandi constat, quomodo illa de dote receptâ confessio à marito facta, validam inducat donationem, adhibitis distinctionibus tradit Mascard. *de probat. conclus. 362. Menoch. de presumpt. lib. 3. pres. 12. n. 74. & seqq. & ex iis Althus. dicaol. lib. 1. c. 90. n. 16.* Ejusmodi tamen confessione creditoribus maritus non potest præjudicare; cum & his exceptionem non numeratæ dotis intra statutum tempus opponere sit integrum. *l. 15. C. de non numer.*

D

muner. pec. Gail 2. O. 81. Mulieri autem dotem suam repetenti onus probandi eam revera esse solutam imponendum videtur, per *l. 1. Cod. de dot. caut. ibi: si dotem à te re ipsa datam probatura es. l. 9. Cod. de bon. proscript. ibi: quam se corporaliter tradidisse docuerit.* Frustra verò mulier de repetenda dote laborabit, si suâ culpâ matrimonium distrahatur. *l. 38. solut. matrim. l. 24. C. h. t. dum marito repudium misit. d. l. 38. l. 8. § 4. de Repud. sine justa scil. causa, nam justam habens repudiandi causam, (quas recenset dict. l. 8. §. 1. junct. d. cap. 9. vers. si vir de adulterio) dote privari nullatenus potest. Novell. 117. c. 9.* Deinde si delicto mulieris matrimonium dissolvatur (quæ delicta denominat dict. l. 8. §. 3. quorum gravissimum est adulterium. *argum. l. 8. §. 2. quod met. causa.* ut meritò uxor hujus criminis rea dotem amittat. *l. 36. C. ad L. Iul. de adult. Novell. 117. cap. 8. vers. si de adulterio.* & hoc non tantum ex dispositione juris civilis, *dd. ll. verum etiam Canonici cap. 4. extr. de donat. inter vir. & ux.*) Declinabit tamen hanc amissionis pœnam, si maritum quoque adulterium commisisse probaverit. *l. 39. ff. solut. matrim.* iniquum enim esset ab uxore quem exigere pudicitiam, quam ipse non servaret. *caus. 32. quest. 6. cap. 2.* ut ita quoad ipsos conjuges paria delicta mutuâ compensatione tollantur. *dict. l. 39. in fin. dict. caus. 32. quest. 6. per tot.* vel si uxor viri lenocinio adulterara fuerit; sero enim improbat maritus mores, quos ipse aut antea corruptit, aut postea probavit. *l. 47. ff. solut. matrim.* Jure tamen hoc dotis lucrum denegatur marito, qui uxorem in adulterio deprehensam occidit *l. 10. §. 1. solut. matrim. argum. l. 56. §. 1. de furt. cum nemo propria auctoritate sibi jus dicere debeat. l. unic. Cod. Ne quis in sua caus.* Quanquam si lege vel statuto loci permittente occiderit contrarium putarem *l. 4. C. ad L. Iul. de Adult.* quod enim sit lege permittente, pœnam meretur nullam. *Peretz in C. solut. matr. n. 17. Bachov. ad Tr. vol. 2. disp. 16. §. 6. A.* Neque verò osculum uxori ab alio datum marito legitimam adulterii commissi præsumptionem præbet, ut eam dote suâ privare possit. *l. pen. §. fin. C. de Repud.* quamvis enim osculum impudicum adulterii quasi proœmium esse lubens largiri possim; non tamen puto præsumptionem esse sufficientem commissi adulterii, sed prodromum quasi & conjecturam adulterii subsequenti, quod tamen intermitteri potuit vel ex pœnitentia ipsius conatus, vel impedimento quod intervenit: Lex autem, ut illa dote privetur, requirit actum consummatum, ex quo graviori

graviori injuria maritus afficitur. Et quia sacratissimus Imp. Just. in Novell. 117. cap. 8. vers. si de adulterio, expressè definivit, adulterii accusationem veraciter debere probari, tam longinqua osculi conjectura minimè sufficet, quippe quæ in classem conjecturarum probandi adulterii l. 8. Cod. de Repud. & Novell. 117. cap. 8. in fin. insertam non sit admissa, nec alia quadam speciali juris dispositione confirmata. Et hoc juris est de dote; An etiam ex eadem causa mulier amittat paraphernalia ambigitur? affirmat gloss. in cap. 4. extr. de donat. inter vir. quæ communiter approbata est, prout secundum eam in collegio Juridico Wittebergensi pronuntiatum testatur Schultz. in synops. Instit. Imp. pag. m. 748. & de moribus nostris affirmat Perez. in Cod. dict. l. num. 19. nec sine ratione; iniquum enim esset maritum absque facto suo iisdem privari, mulierem vero hoc lucrum ex suo delicto & adulterio consequi. argum. l. 2. §. 3. l. 17. §. 1. ff. ad SC. Vellej. l. 5. C. eod. Quæ autem hætenus dixi, de dote ab ipsa muliere data, dixi. Nam quoad dotem profectitiam & adventitiam distinctione quadam opus erit, ut si dos cum stipulatione hac, ut soluto matrimonio reddatur, sit constituta, tam pater quàm extraneus eam repetant. l. 29. §. 1. solut. matr. l. 6. §. 1. de condict. caus. dat. l. 24. Cod. h. tit. l. 7. C. de pact. convent. quilibet enim qui dotem dat, initio dotis dandæ, legem quam velit, sibi dicere potest. l. 7. de pact. dotal. Sin verò simpliciter nulla stipulatione pro ejus restitutione facta, sit data; extraneus dotem repetere non potest, sed penes maritum propter culpam uxoris manet. dict. l. 24. C. h. tit. l. un. §. 13. C. de R. V. A. parens verò si filia emancipatæ dotem dedit, maritus iterum lucratur dotem, nisi uxor ideo diverterat, ut maritum lucro dotis afficiat, patrem defraudet l. 5. de divort. & repud. l. 59. solut. matrim. sin autem adhuc in potestate constitutæ; pater dotem datam legitimè repetere potest. Novell. 22. cap. 19. (c) l. 7. §. 1. h. tit. l. 6. l. 11. l. 31. §. fin. ff. solut. matrim. l. un. §. 9. in fin. C. de R. V. A. hi enim fructus dotis augmentum vocantur, in dict. l. 31. fructus autem novissimi anni, (qui computatur ex die traditionis, si post nuptias ea facta est, l. 5. solut. matrim. sin ante, ex die nuptiarum ad eundem diem anni sequentis l. 6. eod.) quo dissolutum est matrimonium inter virum & uxorem dividuntur, ut pro rata temporis, quo matrimonium illo anno duravit, pars fructuum marito; reliquum uxori vel ejus heredibus cedat. l. 7. §. 1. l. 11. & 31. §. fin. solut. matrim. Finge cum

Q.

C.



Jcto fundum tempore Vindemiæ, puta Calendis Octobris in dotem datum, & à viro captis fructibus Vindemiæ Calendis Novembribus locatum, posteaque in fine Januarii divortium insecutum esse; quomodo erit facienda fructuum & mercedis ex locatione redactæ divisio? Jctus ita rationem ineundam docet, ut fructus vindemiæ & quarta mercedis instantis anni confundantur, ut ex ea pecunia tertia portio (quia tertia anni parte stetit matrimonium) viro reliquatur e. gr. fructus ex vindemia percepti fuerunt 24. merces locationis sunt 40. adeoque trium mensium 10. confusis fructibus & trium mensium mercede erunt 34. ex summa illa confusa pro quatuor mensium portione maritus lucratur $11\frac{1}{3}$ uxor vero pro ratione octo mensium retinet $22\frac{2}{3}$ quæ est verissima & simul æquissima difficilimæ illius l. 7. sententia, prout eam tradunt Cujac. 14. O 22. Perez in C. solut. matrim. num. 11. Anton. Faber. 1. conject. cap. 13. Coll. Arg. lib. 24. tit. 3. num. 10. prope finem. Cui tamen tum demum locus erit, (1.) si divortium factum fuerit bonâ gratiâ: Nam si culpa mulieris factum sit, maritus retinet dotem; ergo & fructus. l. 38 solut. matrim. l. 24. Cod. h. tit. Deinde (2.) si fundus inæstimatus fuerit; æstimatorum enim rerum fructus omnes etiam post divortium ad maritum pertinent, & liberatur reddendo æstimationem. l. un. §. 9. vers. sed & novissimi C. de R. V. A. Tertia exceptio est in l. 31. de pact. dotal. si convenerit inter virum & uxorem, ut extremi anni fructus nondum percepti omnes mulieris lucro cederent. Cæterum etiam restituendum venit, quicquid dolo vel levi mariti culpa est admissum. l. 17. h. tit. l. 18. §. 1. l. 66. in princ. & l. fin. solut. matrim. quippe cum utriusque & mariti & uxoris gratia dos constituatur l. 5. §. 2. commodat. mariti quidem ut constante matrimonio illa fruatur; uxoris verò, quia per dotem hoc consequitur, ut maritus onera matrimonii sustineat. l. 20. C. h. t. Nisi tamen mulier in mora fuerit, quo minus dotem reciperet, tunc enim maritus dolum duntaxat præstare debet. l. 9. solut. matrim. quia mora cuilibet sua debet esse nociva. l. 173. §. 2. de R. I. Deinde nisi ipse maritus in mora tradendi fuerit; tenebitur enim ob omne damnum in re dotali contingens. argum. l. 5. de Reb. credit. l. 23. de V. O. Et denique nisi maritus dolo malo fecerit, quo minus restituere possit; nam tanti damnabitur, quanti in litem mulier juraverit. l. 25. §. 1. solut. matrim.

matrim. (d.) §. 37. I. de Action. qui tamen divortio facto ab uxore D.
conventus, ultra quam facere potest, non condemnatur. l. 12. solut.
matrim. l. 20. de Re jud. esset enim contra conjugalem reverentiam vi-
rum à muliere sic arctari, ut ne alimenta quidem salva habeat. l. 14.
§. 1. solut. matrim. adeo ut ne maritus quidem huic beneficio renun-
ciare possit; quoniam illa renunciatio bonis moribus adversari, at-
que reverentiam conjugalem lædere creditur dict. l. 14. ut tamen ca-
veat uxori de residuo solvendo, si quando ad meliorem fortunam
pervenerit, l. un. §. 7. C. de R. V. A. Ex quibus ultro apparet marito
demum competere hoc competentia beneficio, si ab uxore sua
conveniatur argum. d. §. 37. l. 32. l. 14. §. 1. ibi. si tantum uxori præstat. so-
lut. matrim. l. 20. de Re judic. vel ab uxoris hærede. l. 27. solut. matrim.
mutata enim persona uxoris non statim mutatur privilegium ma-
riti sine facto proprio Mastril. decis. 93. num. 9. secus si ab extraneo,
qui dotem quam pro muliere dedit, sibi restitui stipulatus est l. unic.
§. accedit. C. de R. V. A. Tale vero beneficium quia personale est, &
cum persona exstinguitur. l. 13. solut. matrim. hæredi non datur l. 12.
eod. nisi sit filius communis, qui patri hæres extitit l. 18. in princ. eod.
In defensore quoque dicta regula limitationem patitur, nam suffi-
cit si is tantum uxori præstet, quantum ea consequeretur, si
maritum ipsum convenisset. l. 14. in princ. eod. sed hoc ita si vivo ma-
rito fiat condemnatio, nam eo mortuo in solidum condemnabitur.
l. 23. de Re judic. Fieri tamen quandoque potest, ut ne maritus qui-
dem ipse hoc privilegio gaudeat, si scil. mulier rerum amotarum
judicio cum viro agat. Quia enim hæc actio oritur ex malo con-
tracto, maritus in solidum condemnari debet. l. 52. de Re judic. & de-
inde si dolo malo suam diminuerit substantiam l. unic. §. 7. C. de R. V.
A. Alios casus tradit Schneidevv. in d. §. 37. Inst. de Act. n. 3. & seqq. In
quo verò hoc beneficium consistat, non adeo in propatulo est: Si jus
vetus introspicimus, quo creditoribus jus erat debitorem, intra con-
cessas triginta dierum inducias judicatum non solventem, in pri-
vatum carcerem detrudere, compedibus ad quindecim pondo us-
que vincire, & in tali squalore sexaginta diebus detinere, donec
ejus æstimatione tribus nundinis continuis publicè facta ipsum in
partes disseccarent, vel pro arbitrio peregrè venderent, conf. fragm.
12. tabb. sub tit. de jure privato legis 12. tab. num. 33. si hoc jus, inquam,
introspicimus magna apparet hujus privilegii utilitas. Post Legem
Juliam

Juliam quæ *beneficium cessionis* bonorum introduxit, hoc commodum est in isto beneficio, quod hæ personæ bonis cedere non cogantur. Et licet illi qui bonis cedunt, jure infames non sint; at tamen nominis & famæ sugillationem ac notam quandam incurunt. *argum. Novell. 4. cap. fin. & Novell. 135.* tantum autem abest, ut exceptione competentia munito, tali quid subverendum, ut potius excussio sine bonæ famæ præjudicio ita sit instituenda, ut ei aliquid sufficiens relinquatur ne egeat, *l. 30. de Re judic. l. 19. eod.* scilicet quod esui, potui, cultuique corporis, quodque ad vivendum homini necessarium est. *l. 43. de V. S. vestimenta & stramenta sine quibus nemo vivere l. 234. in fin. eod.* neque corpus alere potest. *l. 6. de alim. legat.* & cætera quibus tuendi & curandi corporis gratia utitur.

E. *mur. l. 44. de V. S. Bachov. in d. § 37. Instit. de Action. num. 3. (e.) l. 9. Cod. solut. matrim.* actione contra eos legitime instituta: uxor enim invitis mariti hæredibus possessionem occupare nequit, sed necesse est ut contra eos licitis utatur remediis. *dict. l. 9.* ne alias propria autoritate possessionem intrando incidat in pœnam *l. 7. C. unde vi.* Et hanc uxoris intensionem hæredes mariti, opposita exceptione de adulterio antea commisso, elidere nullatenus possunt, *l. 15. §. 1. solut. matrim l. un. §. 5. Cod. de R. V. A. l. 1. Cod. Theodos. de dotib. ibi: de moribus actio ultra personam extendi non potest, nec tribuitur heredibus.* Hi enim morum coërcitionem non habent. *dict. l. 15. §. 1. in fin.* & qua ratione illi mores uxoris accusare & reprehendere velit, quos maritus ipse æquo animo tulit? *argum. l. fin. C. de revoc. donat.* Sanè si maritus vivus uxori quæstionem de ejusmodi delicto moverit, rectè postea hæredes ejus viduam eo, ut diximus sine, illius criminis ream facere & accusare possunt. *argum. l. 6. §. fin. de inoffic. testam. Perez, in Cod. ad L. Iul. de adulter. num. 36. (f.)* Olim tam rei uxoriæ, quàm ex stipulatu actione *§. 29. Instit. de Action.* sed illa sublata, & omni jure quod illam comitabatur in actionem ex stipulatu translato; hodie solam actionem ex stipulatu de dote competere Imper. constituit *in l. un. §. 1. Cod. de R. V. A.* eamque tribus potissimum privilegiis insignivit. Primò enim illam contra naturam actionum ex stipulatu *l. 5. §. fin. l. 6. de in lit. jur.* fecit bonæ fidei. *d. l. un. §. 2. dict. §. 29.* quia actio rei uxoriæ bonæ fidei erat, quippe cujus formulæ verba, **QUOD ÆQUIUS MELIUS**, inseri solebant. Cujus mutationis seu confusionis utilitas consistit in eo, quod

508
quod cum actio ex stipulatu in quibusdam pinguior erat & plenior,
quàm actio rei uxoriæ *uti Imper. ostendit in dict. l. unic. §. 3. vers. scien-*
dum. conf l 15. § 1. solut. matrimon. junct. dict. l. unic. §. taceat. Ideo vi
hujus Imperatoriæ constitutionis uxor utriusque actionis qualita-
tibus & privilegiis confusis, dotem semper per actionem ex stipu-
latu, licet stipulatio interposita non fuerit, exigere potest. Multa
singularia hic, quæ huic nostro discursui plurimum lucis afferrent
mutuare possem à Menoch. 1. *presumt. 8. Cujac. lib 10. quest. Papin. ad*
l. 52. de donat. inter vir. & uxor. pag. 252. Lochmann. & Steinbergio
disqq. de fictione juris pecul. itemque ab Amplissimo & Consultissi-
mo Dn. D. Biccio, Præcept. ac Promotore summo honore devene-
rando in tract. de Possess. part. 2. membr. 3. quatenus fictio fiat in ju-
re, nisi horum scrinia compilare verecundarer; brevitatis igitur
causa eo me remitto, & alterum privilegium huic actioni conces-
sium, puta justacitæ hypothecæ, pono, quod nimirum omnia bona
mariti pro restituenda dote tacitè sint obligata. dict. l. un. §. 1. cum
antea mulier nullum jus tacitæ hypothecæ habuerit, sed privile-
gium tantum exigendi inter chirographarios. argum. l. 10. l. 12. Cod.
qui potior. l. 2. 3. Cod. de privil. fisc. Tertio hypothecæ adjecit Imper.
ius prælationis contra creditores anteriores hypothecarios mariti.
dict. §. 29. l. 12. C. qui potior. in pignor. Sed utrum jus illud prælatio-
nis, contra anteriores expreas quoque hypothecas obtineat, fa-
*migeratum est *Σύμμοι* & Imperiali sanctione dignissimum. Dura*
*quidem plerisque videtur *affirmativa*, propterea quod jus alteri fa-*
cto suo quæsitum sine ipsius facto tolli vel minui, nec debeat nec
possit, & quod omnia privilegia ita sint interpretanda ne in alte-
rius vergant dispendium. Verum evanescent hæc & alia generalia
juris principia, si inter interesse privatum, quod creditoribus hy-
pothecariis adhæret, & publicum quod dotes mulierum concer-
nit, saltem distinguatur. Fecit enim Jctus in l. 1. ff. solut. matrim.
dotis causam semper & ubique præcipuam, cum publicè intersit
dotes mulieribus conscrvari ad replendam liberis civitatem: nec
præsumitur creditores prælationem pactos esse sed merum jus hy-
pothecæ, quod illis salvum manet. Placet ergo affirmantibus
accedere qui cum lege loquuntur, pro quibus facit literalis tenor
juris in l. 12. Cod. qui pot. in pign. l. 30. C. h. tit. quibus addi potest. Novell.
97. cap. 3. ubi expressim decisum est mulierem etiam creditori illi
cujus

cojus pecunia res empta est, præferti, qui tamen creditoribus
etiam anteriorem habentibus hypothecam antepositur, l. 7. C. qui
potior. si igitur vinco vincentem te, vinco & te l. 14. §. 3. de divers.
tempor. præscript. cap. 7. de concess. præbend. in 6. Et cur hoc inviden-
dum erit mulieri cum non possit conservandæ suæ dotis causa fide-
jussores petere ut supr. thes. 5. dict. quibus tamen alii creditores sibi
prospicere possunt. Et hanc sententiam in Camera Imperiali ap-
probata testatur Mynsing. 4. O 13. num. 4. Coll. Arg. lib. 20. tit. 4. th. 6.
Idem privilegium extenditur ad dotis augmentum. Novell. 97. cap. 3.
augmentum enim cujusque rei eodem jure censi solet, quo res
ipsa. argum. l. 26. §. 2. de pact. dotal. imo pars & portio dotis esse
intelligitur. l. 8. Cod. h. tit. l. 4. ff. eod. ita tamen ut ex die demum
augmentum facti, non à prima dotis constitutione incipiat. l. 19.
vers. jura etiam Cod. de donat. ant. nupt. Obtinet etiam in sponsa
quæ dotem numeravit, ut eam salvam habeat, qua sponsalibus
finem non consecutis, alii nubere possit: neque enim decipi de-
bet, quæ spe secuturi matrimonii dotem solvit, l. 17. §. 1. & seqq. de
reb. auth. judic. l. 74. h. tit. à privilegio enim personali recte fit illa-
tio ad reale, eo videlicet modo, quo concludit Imper. ut quibus
casibus veteri jure privilegio personali utebatur mulier, iidem &
post Constitutionem Justiniani utatur privilegio reali, & jure præ-
lationis. l. 12. in princip. Cod. qui potior. in pignor. assumptum est in d.
l. 17. §. 1. & dict. l. 74. Multo magis igitur in matrimonio putati-
vo hoc privilegium competet mulieri, l. 22. §. fin. solut. matrim. si
modo ex parte ipsius bonâ fide sit contractum, annotante Accurs. in d.
l. 12. fin. gloss. magn. Nam cum dotes constituentur, ut mulieres
sibi inveniant maritos. l. 13. de Reb. auth. judic. poss. propter opinio-
nem & bonam fidem uxoris, cui nihil imputari potest, perinde
habetur ac si legitimum fuisset matrimonium. Bachov. ad Tr. volum.
2. disput. 24. thes. fin. B. in fin. & in tract. de pignor. lib. 4. cap. 13. De-
nique & hoc privilegio liberos mulieris gaudere putamus, ut ni-
mirum præmortuâ matre dotem repetentes ita omnibus creditori-
bus præferantur, quomodo mater ipsa prælata fuisset. l. 12. §. 1. vers.
exceptis Cod. qui potior. auth. quod obtinet. C. de pignor. Novell. 91. in prin.
& cap. 1. Nam cum præferantur novercæ, quæ tamen fortius
jus habet quam ceteri creditores, omnino & his eos præferri ra-
tionis est. l. 14. §. 3. de divers. tempor. præscript. Perez. in C. h. tit. num. 23.
Minimè

309

Minimè tamen hoc prælationis privilegium extendimus ad dotem confessatam quidem, non verò numeratam. Imper. enim in d. l. 12. §. 1. dotem veram & numeratam requirit. Nec præjudicium aliis afferre debet, si fortè conjuges callido & fraudulento commento quid inter se egerint. Novell. 97. cap. 2. circa fin. l. 27. §. 4. de pact. cum alias hoc ipso mulier quæ nihil dedit, fieret locupletior cum damno creditorum, quod est contra naturalem æquitatem. l. 206. de R. I. ut proinde numeratio revera & naturaliter facta requiratur, l. 49. de solut. & libert. Gail. 2. O. 81. ubi num. 4. observatu dignam addit limitationem, ut hætenus non procedat jus prælationis in dote confessata, si creditores credita sua per publica instrumenta vel testes probent; alioquin si nudam tantum debitoris cautionem habeant, adeoque in pari conditione cum muliere sint constituti, quod mulier favore dotis illis debeat præferri. l. 70. h. tit. l. 1. solut. matrimon. Quantum ad Paraphernalia, *πρωτογενείας* privilegium in his non obtinet, sed mulier pro iis consequendis jure tacitæ hypothecæ utitur. l. 29. C. h. tit. Multo minus quoad donationes propter nuptias, si quas forte ex pacto vel statuto lucratur. dict. l. 12. §. 2. d. §. 29. de Action. non enim pro lucro fovemus mulieres, sed ne damnum patiantur, suisque rebus defraudentur curamus, ait Imper. in dict. l. 12. §. 2. Putat tamen Neguzant. si mulier ad donationem propter nuptias agat, non ut eam lucretur, sed tantum pro dote specialiter obligatam, quod tum in ea reliquis creditoribus ut in dote præferatur. ubi vide tract. de pign. part. 2. mebr. 4. n. 64. omnia enim hic persequi instituti ratio vetat. Plures exceptiones tradit Gail. 2. O. 84. & 90. Quod si autem fiscus & mulier ratione dotis concurrant, uter prælatione gaudeat, gravissima est controversia? Ego minimè hallucinari illos puto, qui fiscum in causa tributorum, *Schätzung vnd Contributiongelder* l. 1. Cod. si propt. publ. pens. l. 2. eod. cum enim earum causa principaliter publicam utilitatem & ipsam Reipublicæ conservationem concernat, haud inconveniens est, eam præferri contractibus aliorum l. 3. Cod. de primipil. 12. & primipili anteponendum censent. l. 4. Cod. in quib. caus. pignor. tacit. l. 3. C. de primipil. Cujac. in par. C. de privileg. dor. cum non solum ipsius debitoris administrantis bona, sed dotem etiam uxoris illi nubentis obligatam, (licet tan-

E cum

tum in subsidium) sibi fiscus retineat. *dict. l. 4.* Et hoc meritò, cum enim primipilus sitis qui annonæ curandæ præpositus est, cujus cura omnibus rebus debet esse potior, utpote cujus neglectus aut interversio vel minima, maximas quandoque in militibus corporum & animorum remissiones facit, ut jure ubi tanta Reipubl. vertitur utilitas, præferri debeat. *dict. l. 3. Cod. primipil.* In reliquis verò pro muliere respondent *ex dict. l. 12. Cod. qui potior Bachov. de pignor. 4. cap. 10. num. 1.* Incipit hoc privilegium dotis statim à die contracti matrimonii, licet nondum soluta vel data fuerit, modo tamen postea reapse numeratio sit secuta *l. 1. ff. qui potior. in pignor. l. unic. §. 1. in fin. Cod. de R. V. A.* alias enim numeratio, quæ nunquam fuit, ad tempus nuptiarum retraheri minimè poterit. *add. Gail. 2. O. 86. num. 3.* Quo beneficio mulier se ipsam privare potest, si illi renunciaverit, modo tamen illa interveniant, quæ ad validam Senatuscons. Vellejani renunciationem in jure requiruntur. *l. 11. & 21. C. ad Sct. Vellej.* Tum enim licet non iteratò consentiat nec tempore declarati consensus alia bona maritus habeat, ex quibus dotem suam salvam habere possit, quæ aliàs requirit Imper. *in Novell. 61. §. 2. 3.* sua sibi renunciatione præjudicat. *d. l. 11. & 21. maximè si ea jurata fuerit. cap. 28. extr. de jurejur. cap. quamvis de pact. in 6.* Actione igitur hac instituta res mobiles Imper. intra annum post solutum matrimonium restituere jubet. *l. un. §. 7. vers. exactio C. de R. V. A.* immobiles verò statim. *d. l. quod tamen cum quodam temperamento temporis accipiendum est. l. 105. de solution.* Rationem differentiæ Dd. ponunt in eo, quod cum illæ alienari vel commodari potuerint, facilè contingere poterint; ideo anni tempus marito conceditur ad eas repetendas vel pecuniam aliunde comparandam; ut tamen interea temporis mulier honeste sustentetur *Peretz. in C. solut. matrim. n. 8. Schneidev. in §. fuerat. Instit. de Action. num. 103. & seqq.* Ad forum competens si transeundum, hanc actionem instituendam atque determinandam esse puto coram judice seculari, in loco domicilii & fori maritalis. *l. 65. de judic.* Causa enim dotis principaliter agitata, est merè secularis; secus autem si principaliter tractetur de causa matrimonii, quia tunc secundariò & incidenter etiam de dote judex

570.

dex Ecclesiasticus cognoscere potest, & ita intelligenda sunt jura in cap. 3. & 6. extr. de donat. int. vir. & uxor. cap. 5. extr. de pignor. facit. cap. 3. extr. de ordin. cognit. Perez. in C. ne pro dot. mul. bon. quond. mar. num. 2. Uno tamen casu videtur defendi posse, quod causa dotis sit mixti fori, scil. quando relicta esset dos in testamento puellæ pauperi, tunc enim, cum sit causa pia, executio testamenti tam ad Episcopum pertinebit, quam ad judicem Laicum, eritque hoc casu mixti fori exactio dotis quem casum Dd. communiter ponunt in l. 32. §. 2. de condict. indebit. Verum postquam jurisdictio Ecclesiastica per transactionem Passaviensem de Anno 1555. §. Damit auch obberührte. ubi. Soll die Geistliche Jurisdiction wider der Augspurgischen Confession / Religion / Glauben / Bestellung der Ministerien / Kirchen-gebräuche / Ordnung vnd Ceremonien / so sie auffgerichtet / oder künfftig auffrichten möchten / bis zu endlicher Vergleichung nicht exercirt, gebraucht / oder geübet werden & paulo post. Soll bis zu endlicher Vergleichung der Religion die Geistliche Jurisdiction eingestellet vnd suspendirt sein vnd bleiben. est suspensa, donec hoc gravissimum religionis negotium per amicabilem compositionem inter Imperatorem & Status Imperii aliquando decidatur, Principes Augustanæ confessioni addicti, cum non secularia tantum, sed & Ecclesiastica jura habeant, de ejusmodi causis Spiritualibus & mixti fori Ipsi hodie cognoscunt, v. sc. superioritatis territorialis, Krafft habender hohen Lands-Obrigkeit. Peculiaria tamen & à secularibus diversa plerumque habere solent judicia, in quibus causæ spirituales examinantur, quæ partim ex Theologis, partim ex Jctis constant, ac Consistoria appellantur, vid. Norimbergium de jure Consistar. 0.58. & 59. ut proinde hæ causæ protestantibus etiam hodie mixti quodammodo fori censeri possint. Denique etiam mulieri in dote sua repetenda competit rei vindicatio, quam pro rebus dotalibus vindicandis, contra quemvis illarum possessorem instituere & exercere potest. l. 30. C. h. tit. Tantum pro instituti nostri ratione de utilissima, & in omni penè corpore juris diffusa dotium materia. l. unic. in princip. Cod. de R. V. A. Stilum tinxeram ut tangerem sigillatim privilegia hinc inde in thesibus nostris posita, & plura adderem, sed sublato digito videbam prolixiorẽ ea requirere tractationem; quam quæ

quæ in subitanea hac thematum rhapsodia, absolvi possit. Do-
minum nostrum Iesum Christum unigenitum Dei filium ex quo
omnia & per quem omnia *l. 6. §. 1. C. de summ. Trinit.* ardentissimis
solicito precibus, ut pietatem in fidei ardore, mentis devotione &
integræ religionis studio in longiora tempora conservet. *l. inter cla-
r. 15. Cod. eod.* quo summum illud bonum rectè cognoscere atque di-
scere, solam vivendi rationem optimam ducam. *l. 20. de fideicommiss.
libert.* & contra hujus mundi vanitates contemnere, *Eccles. 1. & 2.
& æquo animo, sive melior sive deterior mea facta fuerit conditio,
ferre valeam. l. 2. §. 6. de aq. & aq. plu. arcend.* ut tandem cursu hu-
jus vitæ absoluto mihi imponatur corona justitiæ,
2. ad Tim. 4. v. 7. & 8.

F I N I S.



X 2615944

WOM







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches
Centimetres

DICA
 16474
 491.
 IONE,
 E ET
 TIS
 10
 Juss. xi
 cilante
 nsultissimo
 TABORE,
 M PLACITO.
 ersitate Professore
 Patrono suo
 m
 WSEN
 TI
 I MÜLBI,
 PHI,
 .

